GO-

SIUM

DE OSTROGOTHORUM ET VISIGOTHORUM ORIGINE.

COMMENTATIO HISTORICO-CRITICA

IN CERTAMINE LITTERARIO CIVIUM ACADEMICORUM IENENSIUM

PRAEMIO ORNATA.

SCRIPSIT

HENRICUS EISENSCHMIDT

IENENSIS.

Nescire ea, quae ante te sint gesta,
id est semper esse puerum.

IENAE

PROSTAT IN LIBRARIA BRANIANA.

MDCCCXXXV.

BREMER

FRIDERICO PAULO SORETO

PHILOSOPHIAE DOCTORI

SERENISSIMI DUCIS SAXO-VIMARIENSIS

A CONSILIIS LEGATIONIS INTIMIS

ORDINIS SAXO-VIMAR. FALCONIS ALBI PRAEFECTO

IMPERIAL. RUSSIC. ORDINIS ST. ANNAE

SECUNDAE CLASSI ADSCRIPTO

EJUSQUE INSIGNIBUS GEMMEIS ORNATO

HAS

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

QUIBUS MULTORUM BENEFICIORUM MEMOREM
COMPROBARET ANIMUM

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEMONENDA.

Si unicuique, qui Germania gaudet patria, et jucundissimum et utilissimum esse debet, ejus antiquitatem pervestigare et virtutes insignes resque praeclare gestas majorum nostrorum contemplari, sine dubio haud minori cum fructu et voluptate ejus gentis originem, res gestas et mores cognoscemus, quae non modo illarum virtutum nulla caruit, sed etiam rebus fortiter gestis inter omnes reliquas Germaniae gentes excelluit; quae prima Romanorum res non modo fregit, sed omnino evertit et quae gloriam Germanici nominis usque ad Pontum Euxinum fretumque Gaditanum dilatavit. Re vera Gothi, de quorum laudibus agitur, omnibus ornabantur virtutibus, quas in universis Germaniae gentibus admiramur, fortitudine, justitia, castitate et inviolata hospitum reverentia, earum autem virtutum, quas apud populos altiorem culturae gradum jactantes saepissime desideraveris, clementiae dico et humanitatis, praeclara edidere documenta, ita ut Theodoricus propriae laudis nimius amator fuisse non videatur, cum dixerit (Cassiod. Var. II, 43), sibi propositum esse sic vincere, ut subjecti se doleant suum dominium tardius acquisivisse. Cujus rei testimonia apud complures exstant scriptores. Unum tantum locum ex historia miscella, quae dicitur

(c. 15), afferri liceat, quo Totilam, Gothorum regem cum Romanis subjectis habitasse quasi patrem cum filiis traditur. Si quando a solita mansuetudine Gothi recederent, vel necessitate coacti vel sacerdotum catholicorum furoribus lacessiti hoc fecerunt. Non minus autem, quam egregia Gothorum indoles et res praeclare ab iis gestae, fata eorum nos ad admirationem trahunt. Gothi, qui Italia potiti erant, neque laboribus neque morbis et penuria fracti per viginti annos praestantissimis Justiniani ducibus et copiis sic restiterunt, ut jure dubitari possit, sintne Romanorum res magis per victores an per Gothos victos comminutae; et supremo regni Gothici, quod in Italia florebat, die instante, Teias una cum Gothis, qui superstites erant, sic pugnavit, ut antiquitati maxime celebratae merito sit aequandus.

Haec gentis Gothicae admiratio, conjuncta cum voluptate, quam continuo ex historiae studio percipiebam, me commovit, ut ad quaestionem, ab amplissimo philosophorum ordine propositam, accederem tractandam, quam, rem quo magis in scriptoribus, qui Gothorum res attigere, legendis proficiebam, eo difficiliorem esse sensi. Maxime enim dolendum est, et incuria et inscitia Romanorum factum esse, ut tam pauca de rebus Gothorum antiquis innotuerint, quamquam per aliquot saecula ne annus quidem praeteriret, quin res aliqua Romanis cum Gothis esset gerenda. Multa autem eaque scitu dignissima temporis vitio interiere, inter quae praeter alia Dexippi Scythica, Eunapii, Prisci et Malchi scripta, Cassiodori de rebus Gothicis libri et Olympiodori sylva desiderantur. Ea autem,

quae nobis tradita sunt, supra modum obscura, intercisa et sibi invicem repugnantia sunt, quod praecipue in argumento quaestionis propositae, qua de Ostrogothorum et Visigothorum origine quaeritur, conspicuum fit. Omnia testimonia et indicia, quae huc spectant, si diligentissime contuleris, certa tibi exsistet persuasio, nunquam hac de re sententiam ab omni parte ita munitam proferri posse, quin dubitationi aliquid relinquatur loci. Accedit, quod per Jornandem, qui se ipse rerum Gothicarum profitetur scriptorem, Gothorum historiae multum obscuritatis et fallaciae illatum est. Quemadmodum enim a Ludenio in secunda parte historiae Germanicae saepius demonstratum est et ex hac commentatione nonnunquam patebit, Jornandes non modo scriptor est ineptus et fabulis judiciisque praeconceptis addictus, sed etiam is, qui neque historiam moresque Gothorum satis noverit, neque nova quaedam in libello suo conscribendo fingere dubitaverit. Quae Jornandes de Gothorum historia scripsit, adhuc diligentiori indigent censore, ut, quae fides sit habenda fontibus, quibus Jornandes usus est, investigetur et ut, quae vera sunt, a fabulis et commentis secernantur.

Quod ad viam et rationem, quae mihi in hac commentatione ineunda videbatur esse, attinet, in priori ejus parte in singulorum populorum, qui inter Gothos numerantur, nomina et sedes inquisivi, in posteriori autem parte, sententias hac nostra de re prolatas et argumenta, quibus nitantur, examinavi et quae prae ceteris certis

confirmetur indiciis et cum rerum statu optime conveniat, demonstrare conatus sum. Cum autem hac in re non sit propositum, historiam Gothorum enarrare et hic libellus arctioribus finibus contineatur necesse sit, jam patet, me ea tantum e Gothorum rebus gestis attingere potuisse, quae proxime ad rem ipsam accederent. Singulorum virorum sententias hac de re propositas enumerandas non putavi, ne aut in tanta sententiarum varietate distraherer judicio, aut libellus supra modum augeatur, praesertim cum difficillimum sit tali in re primum versanti summorum atque doctissimorum virorum auctoritate non trahi. Praeterea, hoc ipsum ut facere possem, librorum recenti tempore editorum copia omnino defuit. Attamen grato animo est confitendum, me Ludenii, viri non sine maxima honoris commemoratione nominandi et cui cum in quavis historiae parte, tum hac ipsa in re illustranda plurimum debetur, auxilio saepius esse usum neque multa fuisse, in quibus ab ejus auctoritate jure mihi recedendum putarem. Itaque, quicumque haec leges, historiae Germanicae ab ipso compositae volumen conferas secundum quaeso, ubi hac ipsa de re compluribus locis copiose et ut solet ingeniose disputavit. Vale. Scribebam Jenae mense Junio MDCCCXXXV.

Caput I.

De singulis populis, qui Gothorum nomini adscribi solent.

§. 1.

De notis, quibus Gothici populi ab aliis discernantur.

Gothorum nomen novum et paene inauditum inde a temporibus Caracallae Imperatoris Romanis innotescere coepit; quo quidem nomine gens quaedam per terras a Danubio septentrionem versus sitas Romanorum imperium aggressa designabatur. Quamquam autem haec gens et multitudine et viribus maxime pollebat et sequentibus temporibus saepissime infesta arma cum Romanis conferebat, tamen his per longum tempus de hujus gentis origine, de priscis ejus sedibus et rebus gestis vix ulla erat certa notitia. Tum demum, cum jam paene per totum seculum contra hanc gentem pugnandum fuisset, non unum populum, sed complures populos Gothorum nomine appellari Romanis innotuit. Attamen, qua erant Romani externarum rerum inscitia et incuria, haec notitia adhuc incerta et manca fuit, ita ut illo ipso tempore, quo maxima Gothorum pars in Romanorum terris versaretur et quo frequens commercium inter utramque gentem intercederet, singulorum populorum Gothicorum nomina quaque de causa Gothico nomini adscriberentur, non ita essent cognita. Itaque de certis Gothicae originis indiciis et de notis, quibus populi Gothici ab aliis distinguerentur, vix quidquam tradiderunt. Unus tantum Procopius, a quo ejusmodi notitiam jure exspectaveris, hanc rem attigit, primo belli Vandalici libro c. 2. his usus verbis [1]): Plurimae quidem superioribus fuere temporibus hodieque sunt nationes Gothicae; sed inter illas Gothi, Vandali, Visigotthi et Gepaedes cum numero tum dignitate praestant. Olim Sauromatae dicebantur et Melanchlaeni, quidam etiam Getarum nomen ipsis tribuerunt. Vocabulis quidem omnes, nulla vero re praeterea inter se differunt. Cutis omnibus candida, flava caesaries, corpus procerum, facies liberalis, eaedem leges, eadem sacra, Ariana scilicet, una demum

1) Eadem paene tradunt Theophanes p. 81. et Anastasius p. 39. edit. Venet.

lingua, quam Gothicam vocamus, ita ut ad unam universos gentem pertinuisse quondam, ac suorum deinde ducum nominibus discretos fuisse existimem. Haec Procopius. Et monendum est, Procopii auctoritatem, quippe qui per longum tempus cum Gothis versatus esset, hac in re multum valere, eumque re vera praeter hos etiam alios Gothici nominis populos commemorare, sed eo vixisse et scripsisse tempore, quo jam nonnullorum populorum nomina interierant. Attamen notas Gothicae originis ab ipso allatas non eas esse, quibus certa Gothorum natura atque indoles designetur, facile cuique liquebit. Omnes enim illae notae non tam in Gothos quam in omnes Germanicae stirpis gentes cadunt et quod ad Arianismum, quem sequebantur, pertinet, neque verum hoc Gothici nominis indicium esse, neque omnes Gothos Arianismo favisse certum est. Praeterea inter singulos Gothorum populos, quoad mores, arma, pugnandi rationem aliaque, magnum intercessisse discrimen negari nequit. Itaque nobis singulos Gothici nominis populos describere conantibus nihil reliquum est, quam ut veterum scriptorum testimonia sequamur, qui eorum populorum Germanicae originis complexum Gothorum nomine designare solebant, qui a saeculo secundo exeunte terras a Danubio septentriones versus sitas et Ponto Euxino adjacentes tenuere et inde fines Romanorum transgressi in eorum terras inrupere.

§. 2.

De via, quae in describendis singulis Gothorum populis ineunda videbatur esse.

Cum ad rem propositam discernendam maxime sit necessarium, qui fuerint singuli Gothorum populi et quas tenuerint sedes, inquirere cumque Gothis in Romanorum terras transgressis ipsorum res maxime inversas, imo nonnullorum populorum nomina plane exstincta esse historia doceat, optimum nobis visum est, ad ea potissimum hac in re respicere tempora, quibus Gothi adhuc terras trans Danubium sitas tenuere et numero et potentia maxime floruere. Qua in re duplicem viam iniri posse liquet. Aut virium et copiarum, quibus unus alterum anteiret populum, aut finium, quos tenuere, habita ratione singuli enumerari possunt. Cum autem in sequenti disputatione multum intersit scire, qui singulorum populorum fuerit situs, potissimum hujus rei ratio habenda est. Itaque in his populis describendis ab ea parte exire optimum videbatur, qua certi nominis Gothici comparent fines, id est, a Tanai flumine et a Maeotide palude.

§. 3.

De Gothis, qui Alanorum nomine denotantur.

Magnam Gothorum partem Alanorum nomine appellatam esse, in dubium vocari nequit. Procopius enim, qui variis temporibus et locis cum hominibus Gothici nominis versatus est, Alanos fuisse gentem Gothicam diserte tradit. cf. Bell. Vand. I p. 3. Bell. Goth. p. 139 ed. Hug. Grot. Praeterea Sarus, celeberrimus Gothorum, qui Foederati dicebantur, dux, modo Gothus modo Alanus nominatur (Sozom. IX, 9 et 15. Jornand. de regn. success). Nec non Aspar ille, qui maxime inter Romanos orientales gaudebat potentia, alias Alanus, a Jornande Gothorum genere clarus dicitur. (Cand. Isaur. Ecl. Hist. p. 17. Jornand. de reb. Get. 45. Chron. Pasch. p. 323.) Accedit, quod Jornandes, cujus majores inter Alanos versabantur, Alanorum cujusdam ducis, Candacis, nomine originem ad Amalos refert. (c. 50.). Quo quidem jure Alanorum parti Gothicum nomen inditum sit, ob generis necessitudinem, ob armorum consortium vel aliam ob causam, non liquet.

Alani jam ab antiquissimis temporibus in regionibus habitaverunt, quae a Caucaso monte usque ad mare Caspium et portas Caspias porriguntur et Ammianus Marcellinus, qui eorum fines multo longius removet, gentes et origine et nomine diversas in hoc nomen abiisse testatur (XXXI, 2.). Etiamsi missum facimus Zonaram, qui Alanos antiquitus Albanos dictos fuisse vult, jam a Martiali (VII, 29) et a Ptolomaeo (III, 5) easdem sedes tenentes commemorantur, quas multis saeculis post, quam Gothicum nomen interiisset, eodem sub nomine retinuere. Unde liquet, Alanicum nomen non a populo quodam illis terris inditum esse, sed populos hoc nomen a terris traxisse. Quae cum ita sint, etiam inter Gothos, qui Alani dicuntur, hoc nomen a terra quadam accepisse verisimile est, quae quidem terra cis Tanain sita sit necesse est. Et re vera Ammianus Marcellinus (XX, 8) Alanorum Europaeorum mentionem facit, quorum sedes inter Tyram fluvium et Maeotidem refert. Idem tradit (XXXI, 3) Hunnos trajecta Maeotide in Alanos Greuthungis confines et Tanaitas appellatos incidisse; cujus rei Jornandes quoque testis exstat. (c. 24.) Itaque, vel singulos quosdam Gothorum populos, qui Alanorum nomine designarentur, demonstrari posse, quibusdam de causis nobis persuasum est. Nam

1. Sciri diserte a Jornande (c. 50) inter Alanos numerantur (cf. c. 50.).

2. A Procopio quoque (Bell. Goth. I p. 189 ed. Grot.) Sciri et Alani conjuncti memorantur, dicente, Sciros et Alanos Augustulo imperante a Romanis in auxilium assumtos esse; ex aliis autem scriptoribus cognitum habemus, Rugos, Herulos, Sciros et Turcilingos Odoacre duce tum temporis stipendia Romanis fecisse.

3. Herulorum sedes a scriptoribus ad easdem referuntur terras, ubi Alanos habitasse cognovimus. Ablavius, teste Jornande (c. 23) Herulos juxta Maeotidem paludem sedes suas habuisse tradidit. Inter populos Gothicos, qui Gallieno Imp. a Tyra fluvio navibus profecti Ponti Euxini oras depopulabantur, a Zosimo Heruli nominantur (I, 42); praeterea Georgius Synzellus (Hist. Byzant. Script ed. Venet. V. p. 258) Herulos, quos Aerulos dicit, Maeotide quingentis navibus trajecta Ponti vicina vastasse narrat; nec non a Suida Herulorum sedes ultra Tyram fluvium referuntur. Itaque Herulos easdem sedes, quas Alani, tenuisse satis patet.

4. Ita tantum, si Sciros, Herulos aliosque Gothorum populos ad Alanos pertinuisse statuitur, unde factum sit, liquet, ut Sciri post Hunnorum irruptionem cum his conjuncti comparerent. (Zos. IV, 34. Soz. Hist. ecc. IX, 5.). Praeterea Herulorum quoque migrationes a Maeotide in partes Europae occidentales factae hac conjectura luce quadam collustrantur.

Quibus ex rebus sequeretur, Alanorum Gothicorum nomine Rugorum partem, Herulos [2]), Sciros et fortasse Turcilingos quoque appellatos fuisse. Hi autem Alani haud omni commercio et commeatu Alanorum trans Tanain habitantium carebant, nam fabulae illae, quibus Hunni miraculo quodam transitum per Maeotidem paludem traduntur invenisse, historia clara satis refelluntur. Ammianus Marcellinus (XXI, 2) multa de Alanorum Asiaticorum natura atque moribus tradit, quae in Alanos tantum Gothicos cadere potuisse

2) Apud Jorn. c. 50. Alani quidem ab Herulis armorum gravitate secernuntur, at cum nominis societate morum similitudo non semper conjuncta esse solet. Praeterea magna me subit suspicio, locum illum Jornandis e poëta aliquo depromtum esse, quibus in populis describendis non tam veritas, quam varietas quaedam cordi esse solet. Conf. locum Sidonii Apoll. in paneg. Aviti, ubi Salii pede victores esse dicuntur, quemadmodum apud Jornandem Suevi pede praesumunt, qui locus Sidonii facile negotii quidquam facessere potest ei, qui non meminerit, Francos, quorum pars sunt Salii, peditum robore valuisse.

credas; at fortasse Ammianus, quae de Alanis tantum Europaeis dicenda erant, ad universum nomen retulit. Unde autem evenerit, ut Alani Europaei ab Hunnis oppugnati neque ad reliquorum Gothorum et prae ceteris ad Gruthungorum subsidia confugerent, neque ipsi Gruthungi Alanis auxilio venirent, Alanique Gothici nominis obliti una cum Hunnis Gruthungos aggrederentur, hujus rei certa quidem causa non exstat, attamen eam ex rerum statu conjici licet. Gruthungorum enim, alius populi Gothici, res tunc temporis per Hermanaricum regem ad summum potentiae et gloriae gradum evectae fuerunt. Videtur autem Hermanaricus non solum apud gentes peregrinas victoriae copiam quaesivisse, sed etiam populos libero foedere cum Gruthungis conjunctos, ut ditioni suae subjiceret, aggressus esse. (Jorn. c. 23.). Qua re cum magna Gothorum pars odio in Gruthungos flagraret, factum videtur esse, ut Alani post proelia aliquot cum Hunnis conjuncti contra ipsos Gruthungos arma ferrent. Itaque per longum tempus Hunnorum expeditiones in terras occidentales secuti sexto quoque saeculo erroribus gentilibus adstricti comparent.

Data autem occasione, quaedam de his populis singulis addere, a re proposita haud alienum duximus.

§. 4.

De Rugorum populo.

Rugi a Procopio diserte gens Gothica dicuntur (Bell. Goth. II, p. 258 ed. Grot.); eumque hac in re vera tradidisse, inde quoque apparet, quod Odoacer, genere Rugus (cf. Anon. Vales.) et Rugorum, Scirorum et Herulorum dux, saepius Gothorum rex et genere Gothus dicitur (cf. Marcell. Chron-Isidor. Hispal-Theophanes p. 102.) Wilhelmius, diligentissimus antiquitatis Germanicae investigator in libro, cui Germaniae nomen dedit p. 267, omnes hos populos, Herulos scilicet, Sciros et Turcilingos ad Rugorum gentem pertinuisse censet et argumentis ab ipso allatis alia quaedam adjici licet, sed cum hi populi saepius diserte a Rugis distinguantur, praeter Herulos, Sciros et Turcilingos fuisse populum, cui Rugorum nomen proprium fuerit, sequitur. Rugi antiquissimis temporibus terras inter Vistulam et Viadrum flumina mari adjacentes incoluerunt et a Ptolomaeo Rhutikliorum nomine designantur. A Tacito quoque (Germ. 43) ad easdem referuntur terras, ita ut Gothis fuerint vicini. Quae Jornandes de Ethelrugis et Ulmerugis tradit (c. 3 et 4) videntur potius ad tempus, quo ipse Jornandes scripsit, quam ad antiquissima hujus gentis tempora referenda

esse. Hujus gentis pars ad Gothorum foedus accessisse et ita in tractus Ponto Euxino vicinos videtur pervenisse. Quamquam autem sedes, quas ibi tenuere, haud notae sunt, tamen inde, quod sequentibus temporibus semper cum Herulis conjuncti comparent, eos etiam his in terris Herulis vicinos fuisse a veritate non recedit. Inde Hunnis subjecti una cum reliquis Alanis Gothicae stirpis in partes Europae Occidentem propius spectantes pervenerunt. A Sidonio Apoll. (paneg. Aviti [3])) inter populos commemorantur, qui Attilam Gallias invadentem sequebantur. Hunnorum rebus eversis, quae fuerit Rugorum sors, non satis constat. Jornandes (c. 50) eos a Romanis, ut Scandiopolin incolere liceret, petiisse tradit. In bello a Valamiro ejusque fratribus adversus Sciros gesto (quod bellum ante 464. gestum est) his Rugi auxilio venere (Jorn. c. 54). Posthaec Rugorum pars Odoacrum in Italiam secuta (anno 465) eidem regi obsequium praestitit. Alia eorum pars Danubii ripam ulteriorem et Norico vicinam incoluit, quorum rex Feletheus seu Feva dictus ab Odoacro oppugnatus et victus est (Paul. Diac. I, 19). Rugi superstites Theodorico Italiam petenti (a. 488) sese adjunxerunt, Gothorumque rebus in Italia destructis Rugorum memoria evanescit.

§. 5.

De Sciris et Turcilingis.

Sciros ad Gothicum nomen referendos esse, his rebus probatur. Procopius (Bell. Goth. I, p. 139) eos inter gentes Gothicas refert; praeterea Edico, Odoacris, qui saepius genere Gothus et Gothorum rex dicitur, pater, a Jornande (c. 54) Scirorum optimas nominatur; accedit, quod antiquissimae Scirorum sedes in illis erant positae terris, unde Gothorum populos prodiisse satis constat. Plinius enim (hist. nat. IV, 27) eos Sarmatis et Venedis vicinos in terra a Vistula flumine orientem versus sita habitasse tradit (cf. *Barth Urgeschichte von Deutschland Bd.* 2, p. 199). Post Hunnorum irruptionem saepius cum his conjuncti memorantur (Zos. IV, 34. Sozom. hist. ecc. IX, 5.). Attila mortuo varias sedes videntur tenuisse (Jorn. c. 50.) belloque inter Sciros et

3) (VII. 319.) Pugnacem Rugum comitante Gelono Gepida trux sequitur. — — — — —
Ex ea re, quod Sidonius Rugos cum Gelonis conjunxit, argumentum haud leve sententiae de Rugorum ad Maeotidem sedibus confirmandae peti liceret, si poëtae, praesertim Sidonio fides hac in re esset habenda.

Gothos, qui Valamirum ejusque fratres sequebantur, exorto magna eorum pars interiit. (Jorn. c. 53 et 54. Priscus (Hist. Byzant. Script. ed. Venet. tom. I. p. 44). Non longo tempore post saepius inter populos nominantur, in quos Odoacro fuit imperium; quo interfecto Scirorum quoque nomen et memoria interiit. 4)

De Turcilingorum originibus et rebus gestis vix aliud quidquam, praeter nomen ipsum traditum est. Odoacris tantum tempore una cum Sciris, Rugis et Herulis commemorantur.

§. 6.

De Herulis.

Herulorum historia prae ceteris et cognitu dignissima est et magnis involuta difficultatibus. Herulorum populum inter Gothos referendum esse, Zonaras (tom. I. p. 63) testatur, qui eos gentem Scythicam et Gothicam nominat; quod Zonarae testimonium aliis quoque rebus confirmatur. Zosimus enim Julianum contra Persas pugnaturum Gothorum auxilio usum esse tradit; ex Ammiano autem Marcellino hos fuisse Herulos cognoscimus. Praeterea ipsa eorum e Scandinavia et maris Germanici oris ad Pontum Euxinum migratio cum hac sententia optime convenit. Scandinaviae tanquam Herulorum patriae Jornandes quoque mentionem fecit (c. 3.), sed totus ille locus tam obscurus est, ut vix ad eum respicere liceat. Herulos autem in Scandinavia sedes habuisse, e Procopio cognosci licet. Hic enim refert (Bell. Goth. p. 260). Herulis a Longobardis victis, partem eorum, ut regem sibi inde deducerent, Thulen, id est, Scandinaviam, petiisse. Procopius autem, cui de aliis populis longius remotis imperfecta tantum notitia solet esse, non modo de Herulorum itinere, sed etiam de Scandinaviae situ et natura optime est edoctus. Quo modo autem fieri potuit, ut Heruli terram remotissimam peterent ibique quosdam regiae stirpis viros esse tam certo scirent, nisi ipsi inde originem duxerunt? Eos maris Germanici oras incoluisse inde quoque verisi-

---

4) In libro Jornandis de regn. succ. Theodoricum Triarii filium a Sciris suis armatum usque ad Apulum venisse narratur; quo ex loco Triarium Scirorum ducem fuisse sequeretur. At in Marcellini Chronico, ex quo totus ille Jornandis locus male descriptus videtur esse, cum accitis suis usque ad Anaplum (oppidum non procul a Constantinopoli situm) venisse legitur, qua cum narratione Evagrius optime consentit. (hist. eccl. III, 25).

mile est, quod prae ceteris Gothis rei navalis erant periti. Nam cum ad Pontum Euxinum sedes fixissent suas, saepissime maxima navium multitudine profecti terras imperii Romani mari adjacentes depopulati sunt, ita ut vel in Cretam et Rhodum insulas descenderent. (Zosim. I, 42. Georgius Synzellus p. 258. (ed. Venet). Heruli quoque primi videntur fuisse, qui inter Gothos Romanis stipendia facerent. Nam idem Synzellus Gallieno imperante Naulobatum Herulorum ducem consulari dignitate praeditum esse tradit, quod profecto non factum esset, nisi magnum popularium numerum in Romanorum auxilium adduxisset; et re vera inde ab hoc tempore Heruli saepissime Romanorum signa secuti commemorantur, itaque Maximiano[5]), Constantio et Juliano imperantibus eorum fit mentio. Ante Hunnorum irruptionem, ut jam monuimus, ab Hermanarico, Gruthungorum rege, armis infestis lacessiti per omne tempus posterum odio quodam in Gothorum illam partem flagrabant, ita ut communi gentis Gothicae causa deserta cum Hunnis conjungerentur et una cum his partes Europae occidentales peterent. Per longum inde tempus Herulorum res silentio teguntur et denuo in memorabili illa pugna, qua Hunnorum res per Gepidas aliosque Gothos eversae sunt, Herulorum nomen auditur (Jorn. c. 50.). Quamquam, quorum a partibus steterint, non traditur, neque magis, quas post illam pugnam tenuerint sedes. Hoc tantum constat, terras a Danubio septentrionem versus sitas ab iis occupatas esse, quibus in sedibus Herulorum res maxime videntur floruisse. Pars eorum Odoacrum in Italiam secuta est; reliqui autem, cum Langobardos injustis aggrederentur armis, proelio commisso ita sunt ab his prostrati, ut sedes relinquere cogerentur, neque unquam ad pristinum potentiae statum redirent[6]). Quibus factis

---

5) cf. Mamertini Genethl. Maximiani I. 5. Haud ignoro, quae Ludenius ingeniose ut solet de illo loco disputavit. Meam si post hunc virum afferri licet sententiam, Herulos ibi commemoratos non ex alia terra in Galliam irrupisse mihi verissimile est, sed Heruli videntur fuisse, qui neglectis Romanorum stipendiis et aliis sociis assumtis praedandi causa per Gallias vagarentur. Mamertinus, ut Imperatoris gloriam augeret, hostes et pericula augere non dubitavit. Ipse rhetor huic sententiae annuit, cum Herulos paucis cohortibus a Maximiano victos esse tradat.

6) Conferantur de hoc bello narrationes admodum diversae, quamquam in summa rei consentientes, Procopii (Bell. Goth. II. p. 257) et Pauli Diaconi (I, 20) e quibus perspici optime potest, quemadmodum res gestae temporis progressu vel ore propagatae vel carminibus celebratae immutari et exornari soleant.

Danubium transgressi ab Anastasio Imp. agros in Illyriis accepere colendos (Proc. Bell: Goth. II, p. 260. Marcell. Chron.). Inde per aliquot annos Romanis fidos se exhibuerunt socios, ita ut Justiniano in Vandalos, Gothos, Persas aliasque gentes bella gerenti egregiam navarent operam. Posthac a Romanis deficientes et Gepidis adjuncti ab illis et a Langobardis ita sunt comminuti, ut res eorum penitus everterentur. Attamen sequenti tempore variis locis Herulorum fit mentio. cf. Descriptio vitae St. Severini et Chron. Idatii.

§. 7.

De Gothis, qui Tetraxitae vocantur.

Ad Gothos, quibus Alanorum nomen inditum est, ii quoque Gothorum videntur referendi esse, qui a Procopio Tetraxitae nominantur. Hunnis enim irrumpentibus non omnes Gothi, qui terras Maeotidi et Ponto Euxino vicinas tenuere, sedes suas reliquerunt. Sed pars eorum, locorum opportunitate tuti circum Maeotidis os, ubi Bosporus et Cherson urbes sitae erant, remanserunt. Procopius in libro IV c. 4. de bell. Goth. et de aedif. III, 7 uberiorem facit eorum mentionem, quibus locis tradit, hos Gothos non tam numero, quam fortitudine, agricultura et erga peregrinos humanitate excelluisse. Procopii tempore fidos se socios Romanis praestitere; unde autem Tetraxitarum nomen acceperint, non liquet. E Graecorum sermone desumtum esse ambigi vix potest; horum enim sermone τέτραξ avem designat, qui Germanis dicitur Auerhahn vel Birkhuhn. Acceperintne autem hoc nomen a vestitu quodam aut a crebra hujus avis venatione, non constat, neque magis quousque hae Gothorum reliquiae viguerint, quamquam adhuc octavo saeculo non omnis eorum memoria videtur interiisse. cf. Nicephorus Const. p. 27 ed. Venet.

§. 8.

De Greuthungis.

His populis Gothicis, qui Alani dicti sunt et de quibus hucusque sermo fuit, confines erant Gruthungi seu Greuthungi, de cujus gentis origine Gothica certissima exstant indicia (cf. Amm. Marc. XXXI). Horum fines orientem versus Alanos attingebant (Amm. Marc. XXXI, 3); meridiem autem versus Danastro flumine a Thervingis disjungebantur; quousque in occidentem et Boream eorum fines patuerint, non constat. Si Jornandi fides est habenda,

Hermanarico, eorum regi potentissimo et clarissimo, innumerae gentes vel mari Germanico adjacentes erant subjectae. Jorn. 23. Ammianus quoque Hermanarici late patentes et uberes pagos commemorat (XXXI, 3). Hujus populi jam Trebellius Pollio Claudio regnante facit mentionem (cf. Claud. 6), nam Trutungorum sub nomine Gruthungos esse intelligendos in dubium vocari non potest. Quomodo autem evenerit, ut Gruthungorum res, quae Hermanarico rege maxime floruere (Amm. Marc. XXX, 3), Hunnorum aggressu tam cito everterentur, jure mirari possumus. Cujus rei causa haud levissima inde videtur quaerenda esse, quod populi Gruthungis subjecti inviti tantum his obsequium praestarent et occasione desciscendi data Hunnorum arma augerent. Itaque post Hermanarici obitum Vithimiris Gruthungorum rex aliquantum Hunnis fortiter restitit; at hostium vi et multitudine superatus in proelio occubuit. Quibus factis Alatheus et Saphrax, Gruthungorum duces fortissimi et peritissimi iidemque Viterichi, Vithimiris filii, tutores, cedendi consilium cepere et Thervingis jam in Romanorum terra versantibus ipsi Istrum trajecere. Haec Gruthungorum pars, quae equitatu prae ceteris videtur valuisse (cf. Amm. Marc. XXXI, 13) cum Thervingis conjuncta pugnae ad Hadrianopolin factae interfuit. Qua pugna cum Romani ipso Valente duce a Gothis deleti essent, Gruthungi una cum Fridigerno, Thervingorum duce, Romanorum terras nullo prohibente depopulabantur. At non longo tempore post, quam e terris Italiae finitimis reversi in Graeciam irruere conarentur (Zos. IV, 34), memoria eorum interiit. Quae autem Gruthungorum, qui trans Istrum remanserant, fuerit sors, haud constat. At decennio fere post, quam Gruthungorum pars, Alotheo et Saphrace ducibus, in Romanorum terras transierant, tanta Gruthungorum multitudo Istrum trajectura comparuit, ut totam eorum gentem sedes suas reliquisse verisimile sit. Zosimus enim tradit (IV, 38) Theodosio imperante et Honorio primum Consule (a. 386) nationem quandam Scythicam, omnibus ignotam, quam barbari Prothingos appellarent, ad ulteriorem Istri ripam venisse; eosque, cum multitudine abundarent et armis neccessariis instructi essent cumque corporum robore excellerent, interjectorum barbarorum terras nullo negotio peragrasse. Qui Prothingi Istrum Romanis obsistentibus noctu trajicere conati et ab his circumventi partim submersi sunt et occisi, partim in captivitatem redacti. Qua in re gesta multa memoratu dignissima occurrunt.

1. Apud Zosimum huic populo Prothingorum est nomen et cum ad no-

men aliquod removendum haud sufficiat, quod ignotum sit, sintne Gruthungi intelligendi, jure dubitare possemus. Attamen aliorum scriptorum certis testimoniis ejusmodi dubitatio tollitur. Claudianus enim in quarto Honorii consulatu celebrando (v. 623) Honorio primum consule (a. 386.) ingentem Gruthungorum multitudinem duce Odotheo Istrum trajicere conatam esse canit[7]); praeterea Idatius in Chronico septimo Theodosii regnantis anno Gruthungos superatos esse memoriae tradit.

2. Zosimus hunc populum Istri accolis ignotum fuisse dicit; attamen inter Romanos erant, qui Gruthungorum sermonis gnari essent, cum idem ac reliquorum Gothorum esset sermo. Hos autem Gruthungos non praedandi causa suas sedes reliquisse, inde cognoscitur, quod mulieres, pueros aliaque impedimenta secum duxere. Zosimus enim τῆς ἀχρήστου ἡλικίας facit mentionem eorumque mulierculas et pueros a militibus Romanis abductos esse tradit.

3. Magnum eorum fuisse numerum, inde colligi licet, quod, quamvis multi in ipso flumine transeundo interiissent, tamen haud exiguus numerus a Romanis caperetur. Theodosius autem, qui ipse rei gerendae non interfuit, triumphum hac de victoria una cum Arcadio filio egit, qui in hujus victoriae memoriam columnam erigendam curavit. Idatii et Marcellini Chron. ad a. 386. Cedren. tom. I. p. 322. edit. Venet.

Theodosius, ut captivos humanitate sibi benevolos et fidos redderet, vinculis eos solvi jussit, maximaque ex parte in Romanorum numeros recepit. Alii eorum in Asiam traducti Bithyniae et Phrygiae agros accepere colendos (Claud. in Eutrop. II, p. 153) iidemque fuere, qui annis aliquot post Tribigildo duce Asiam minorem maximis affecere cladibus. Gruthungorum nomen posthac nusquam auditur.

§. 9.

De Thervingis.

Quamquam hic populus Romanis vicinus et per multas res gestas notis-

7) In Claudiani editionibus longe plurimis Gothunnorum nomen legitur. Heinsius autem ad hunc locum explicandum libros scriptos mire quidem inter se dissentire dicit, uno autem consensu editam lectionem eos non agnoscere. Codices optimos Gruthunnorum, Grutongorum, Grotungorum nomen exhibere.

simus erat, tamen in ejus historia tam multa occurrunt obscura et incerta, ut nesciam, an ulla ingenii acies, qui verus fuerit rerum status, unquam sit perspectura. Hunc populum inter Gothos esse referendum, praeter alios ex Ammiano clarissime licet cognosci. Thervingorum fines, qui saeculo quarto medio fuere, ab Aquilone Danastro flumine, ab Oriente Ponto Euxino, ab Austro Danubio et ab Occidente Hieraso fluvio, qui nunc Pruth audit, continebantur. In finibus hujus populi, qui Occidentem versus fuerint, designandis loco Ammiani usi sumus, qui, ut nunc legitur, revera alium exhibet sensum. In Ammiano enim sic legitur (XXXI, 3): „Athanaricus a superciliis Gerasi fluminis adusque Danubium Taifalorum terras praestringens muros altius erigebat." Attamen Ludenii sententia, qui Gerasi praestringentis legendum esse censet, his de causis mihi probatur: *a*) Lectio, quae nunc in Ammiani editionibus exstat, inde videtur nata, quod, cum Athanaricus muros a Geraso flumine erexisse dicatur, locus, quosque muros aedificaverit, facile desiderari potuit; itaque locorum et rerum gestarum ignari usque ad Danubium muros erectos esse suspicati sunt. Quousque autem revera erexerit Athanaricus muros, eam ob causam non traditum est, quod Hunnis supervenientibus in opere perficiendo impediebatur.

b) A superciliis [8]) Gerasi adusque Danubium muros erigere, non modo longum, sed omnino inutile fuit.

c) Ammianus verbo praestringendi in fluminum tantum cursu describendo uti solet. cf. XXII, 8: „Tyros, colonia Phoenicum, quam praestringit fluvius Tyras." Itaque Gerasum inter Thervingos et Taifalos interfluisse verisimillimum est, quamquam illos Daciae quoque partem, quae a fontibus Gerasi Occidentem spectabat, tenuisse haud negatur.

Si Pollionem exceperis, ubi Thervingorum nomen corruptum legitur (Claud. 6), eorum nomen apud Mamertinum in Genethliaco Maximiani (c. 16 et 17) occurrit, ubi Thervingi adjuncta manu Taifalorum cum Vandalis Gepidisque hostiliter concurrisse dicuntur. Ab Eutropio Thervingi inter populos Daciam colentes memorantur (VIII, 2). Prae ceteris autem Thervingorum res gestas ex Ammiano cognosci licet. Ante omnes duo hujus populi viri et virtutibus et rebus gestis nobiles exstitere, Fridigernus et Athanaricus

8) Supercilia ab Ammiano simpliciter fluminum ripae altiores dicuntur. cf. XIV, 7: supercilia Nili. XVI, 10: Rheni supercilia.

et quae de Thervingorum rebus innotuere, magna ex parte horum virorum historia continentur. Ad quam cum in sequente disputatione saepius respiciendum sit, quantum ob rerum gestarum obscuritatem et scriptorum repugnantiam fieri licet, eam paucis enarrare conabimur.

1. Secundo Valentis Imperatoris anno (a. 365) Procopius res novas contra Imperatorem moliturus ad Gothos Istro vicinos auxiliorum comparandorum causa misit. Gothis, id est, Thervingis, tum temporis Athanaricus [9]) praeerat, qui auctor videtur fuisse, ut sequente anno, Procopio jam interfecto, aliquot Gothorum millia in Procopii subsidium Istrum transirent qui a Valente circumventi custodiis tenebantur. Exstat de horum adventu narratio memoratu dignissima in Fragmentis Eunapii; cf. praeterea Amm. Marc. XXVII, 4.

2. Injuriam, quam Valens sibi a Gothis factam putavit, ulturus in bellum contra eos gerendum accingebatur, quod per tres annos (inde ab anno 367. usque ad annum 369.) gestum est, quo in bello Thervingos Romanis tam male restitisse jure mirari possumus. Fortasse jam tunc Thervingorum res internis dissidiis comminutae erant. cf. de hoc bello Amm. Marc. XXVII, 4.

3. Posthac Athanaricus et Fridigernus, Thervingorum duces, domestica proelia commoverunt. Cum autem Athanaricus superior evaderet, Fridigernus a Valente, qui vel odio adhuc in Athanaricum flagrabat vel promissione Fridigerni, se cum suis ad Christianum ritum transiturum, commovebatur, auxilio adjutus est, quibus imperium in Gothorum partem videtur retinuisse. cf. Socr. hist. ecc. IV, 27, cujus narratio proxime ad veritatem accedere videtur; huic assentit Sozom. VI, 36. Theophanes p. 55. A plerisque scriptoribus aliis tempora et res gestae invertuntur.

4. Athanaricus autem videtur ea, quae et sibi et toti genti mala evenirent, inde repetiisse, quod multi Gothorum relictis diis patriis ad Christianorum sacra transiissent. Fortasse etiam e commercio, quod inter Romanos et Gothos Christianos intercedebat, universis Gothorum rebus metuebat. Itaque

9) Athanaricus ab Hieronymo in Chron. et a Jornande rex dicitur, Ammianus autem, cui res gestae optime solent notae esse, eum judicem tantum Thervingorum potentissimum nominat, fortasse, quod potestas ejus in populum suum arctioribus circumscripta esset finibus. Ejusmodi populorum judices ab Ammiano saepius commemorantur. cf. XVII, 13 et XXI, 2: Alani judices etiam nunc eligunt, diuturno bellandi usu spectatos.

in omnes Gothos suae ditionis, qui Christiani facti essent, persecutionem movit eosque aut novum ritum deserere aut Gothorum terras relinquere coegit. Inter hos Gothos, qui ab Athanarico patriis sedibus expulsi in Romanorum terras transirent, Ulphilam, celeberrimum eorum episcopum, fuisse verisimillimum est. Illa Athanarici persecutio plerumque ad annum 373. refertur. cf. Hieron. Chron. Socr. hist. eccl. IV, 27. Sozom. VI, 36.

5. Maxima Thervingorum parte post Hunnorum incursionem in Romanorum terris versante, Athanaricus trans Danubium remanserat. Fridigernus autem, qui maximam auctoritatem inter Thervingos et reliquos Gothos, qui Danubium transierant, nactus erat, veteris inimicitiae memor trajecto iterum Danubio Athanaricum hostiliter adortus est, qui victus, ut videtur, cum paucis suorum Constantinopolin ad Theodosium Imperatorem se contulit, a quo admodum benigne receptus, at eodem mense Januario anni 381. quo venerat, mortuus honorificentissime a Theodosio sepultus est. cf, Amm. Marc. XXVII, 4. Zos. IV, 34. Chron. Marcellini.

Hactenus de horum virorum rebus gestis. Quamquam autem singulorum populorum historiam enarrare nobis minime est propositum, tamen quae ipsorum Thervingorum post Hunnorum aggressus fuerint fata, breviter attingamus necesse est. Si ad Thervingorum et Gothorum aliorum Danubium transgredientium multitudinem et ad fortitudinem, quam contra Romanos pugnantes exhibuere, respicitur, vix intelligi potest, quomodo factum sit, ut Hunnis cederent, nisi forte in iisdem istis dissidis causa est quaerenda. Hoc constat, Gothorum rebus per Hunnos eversis Athanaricum cum Thervingorum parte Transsylvaniae, quae nunc dicitur, montibus se abdidisse, aliam autem innumeram Thervingorum et aliorum, ut videtur, populorum multitudinem Fridigerno et Alavivo ducibus in Romanorum solum transiisse. Res ab ipsis ibi gestae cum ab Ammiano libro tricesimo primo fusius enarratae sint, hoc tantum moneamus, inde a Theodosii imperantis initio Thervingorum nomen non amplius audiri.

§. 10.

De Taifalis et Victofalis.

Taifalorum gentem ad Gothorum nomen pertinuisse, nusquam claris verbis legitur, attamen hujus rei alia quaedam indicia non minus certa exstant, qualia sedes et armorum cum aliis Gothis consortium afferri licet. Praeterea

Farnobius, Taifalorum dux, ab Ammiano Gothorum optimas dicitur. cf. XXXI, 9. Ab Eutropio inter gentes Daciam incolentes referuntur. cf. VIII, 2. Ab Oriente Hieraso flumine a Thervingis disjungebantur, ab Austro Danubium attingebant, Occidentem versus Sarmatis Limigantibus, qui ab Ammiano Picenses dicuntur, confines erant. cf. Amm. Marc. XVII, 15. Septentriones autem versus Victofalis vicini videntur fuisse. Taifalorum gens praeter alios fuit bellicosa et cum Romanis, Sarmatis et cum ipsis Gothis saepissime infesta conseruit arma. cf. Chron. Euseb. ad an. 333. Aurelius Victor in vita Constantini, Marcellin. Chron., Mamertini Genethl. Maxim. c. 17. Amm. Marcell. XVII, 15. Zos. II, 31. Memoratu dignum est, hunc unum esse populum Gothicum, cujus nomen praeter Gepidas Jornandi innotuerit (cf. c. 17, ubi Taphili dicuntur), fueritne autem ei cognitum, eos fuisse Gothos, haud affirmaverim. Quae eorum fuerit sors reliquis Gothis ab Hunnorum gente fugatis, non liquet, attamen cum Hunni et Alani non longo tempore post usque ad Pannoniae confinia penetrarint, Taifalos sedes suas incolumes retinuisse haud verisimile est. De parte eorum constat, praedandi causa eos in Romanorum terras transiisse, qui cum aliis Gothis conjuncti et a Frigerido Romanorum duce victi in Italiam, ut agros circa Mutinam colerent, traducti sunt. cf. Amm. Marc. XXXI, 9. Zosimus autem inter Gothos, qui ab Hunnis sedibus pulsi essent, Taifalorum certam facit mentionem. (IV, 25). Posthac hujus quoque populi memoria silentio obtegitur.

De Victofalis pauca tantum exstant tradita. Hic populus si Gothico nomini adscribendus est, cujus quidem rei nulla testimonia afferri possunt, nisi nominis Taifalorum et Victofalorum similitudo et terrarum vicinitas, Victofali omnium Gothorum primi contra Romanos pugnantes comparent. Nam a Capitolino (Anton. Phil. c. 22) inter gentes illas memorantur, qui Antonino Philosopho Imperatore contra Romanos arma ferrent. Saeculo quarto ineunte Daciae partem septentrionalem tenuere et Taifalorum Thervingorumque vicini videntur fuisse. cf. Eutrop. VIII, 2. Amm. Marcell. XVII, 13. Praeterea de hujus populi rebus gestis nihil amplius innotuit.

§. 11.

De Gepidis.

Gepidae a Jornande (c. 17.) et a Procopio (Bell: Vand. I, 2.) inter gentes Go-

thicas numerantur. [10]) In hujus gentis sedibus antiquissimis designandis, cum aliud testimonium non exstet, Jornandem sequamur necesse est, qui eos in insula Vistulae amnis vadis cirumacta habitasse tradit. Posthac una cum reliquis Gothis propius ad orientales Europae tractus accessisse et terras à Dacia Aquilonem versus sitas videntur tenuisse. Ibi cum inter Gepidas et aliam Gothorum partem, quibus Ostrogotha rex erat. bellum esset exortum, Gepidae victi fugatique sunt. cf. Jorn. c. 17. Quibus cum rebus gestis narratio Mamertini videtur convenire, qui (Genethl. Maxim. c. 17.) Thervingos et Taifalos contra Vandalos Gypedesque pugnase tradit; quamquam enim Mamertinus non is est scriptor, cui integra fides sit habenda, tamen tempus, quo scripsit (an. 292) admodum cum re a Jornande narrata convenit. Post Hunnorum de Gothis victorias Gepidae illorum sequebantur arma, ita tamen, ut propriis uterentur regibus. Attila in Hunnos dominante Ardaricus Gepidarum fuit rex. Quamquam autem ab Attila paene amici loco haberetur cf. Jorn. 38, tamen Attila mortuo primus in ejus filios arma movit et victoria de Hunnis reportata potitus Daciam, Hunnorum modo sedem, genti suae incolendam sumsit. [11]) (cf. Jorn. 50) Qua in terra cum res Gepidarum admodum florerent, inde a Marciano Imperatore usque ad Justinianum annua dona a Romanis acceperunt iisque saepius auxilia miserunt. Theodorico Ostrogothorum rege mortuo, Romani eam Daciae et Pannoniae partem, quae illius fuerat imperii, recuperarunt. At cum Romani aliis bellis distraherentur, Gepidae Danubium transgressi agros circa Sirmium sitos occupaverunt. Quibus factis Gepidae et Langobardi, qui Romanorum permissu Pannoniam tenuere, mox in gravissimas exarserunt inimicitias, quarum post varios praeliorum eventus fuit exitus, ut Gepidarum res a Langobardis, Alboino duce et Avaribus auxiliantibus, funditus everterentur. Gepidarum reliquiae partim victoribus sese adjunxerunt, partim ad Romanos confugerunt, quo factum est, ut Gepidarum nomen paullo post interiret.

Gepidae armorum gravitate et ingenii quadam tarditate insignes fuere cf.

---

10) Narrationem Jornandis de Gepidarum nominis origine serioris temporis esse commentum, res ipsa docet. Gepidarum nomen, quo Gepidae ipsi usi sunt, ab exteris et peregrinis in ludibrium versum est.

11) Sedes, quas Gepidae in Dacia Jornandis tempore tenuere, ab hoc capite 22. describuntur.

Jorn. c. 17. exelluerunt autem prae ceteris fortitudine et erga peregrinos hospitalitate, cujus rei egregia edidere documenta. cf. Paul. Diac. I, 24. et Procop. Bell. Goth. IV. p. 495 ed. Grot. Gepidae, ut plerique populi Gothorum Arii defendebant placita. cf. Proc. Goth. III p. 390.

§. 12.

De Vandalis, qui ad Gothorum nomen pertinuerint.

Vandali ab uno tantum Procopio, si quosdam seriores Graecorum scriptores, ut Cedrenum (tom. I, p. 335), qui illum sequuti videntur esse, exceperis, inter Gothos referuntur (Vand. I, 2); attamen quosdam Vandalorum ad Gothorum foedus pertinuisse ab eo, quod verisimile est, haud recedit. Saepius enim cum aliis Gothorum populis conjuncti comparent et apud seriores scriptores ipse Alaricus Vandalorum dux nominatur. cf. Zonaras tom. II, p. 39. 40. Cedrenus tom. I, p. 335. Praeterea inde quoque cognationis indicium quoddam peti licet, quod, cum Theodoricus, Triarii filius cum Leone pacem iniret, se contra quamcunque gentem, exceptis Vandalis, a parte Imperatoris pugnaturum promisit. cf. Malchus p. 93.

Gens quaedam Vandalica, cui Asdingorum fuit nomen, Marco Aurelio Imperatore memoratur Fragm. Petri Patricii et Dio. Cass. LXXI, 12. et haec gens imprimis ad Gothos videtur referenda esse. De iisdem Asdingis Jornandes (c. 16.) tradit, eos ab Ostrogotha Gothorum rege in societatem assumtos esse. Asdingos illo tempore Daciae partem septentrionalem tenuisse et Gepidis vicinos fuisse verisimile est. Per longum enim tempus Vandali et Gepidae una commemorantur. cf. Vopisc. vit. Probi c. 22. et Mamertini Genethl. Maxim. c. 16. Illo tempore Vandalis Visumarem regem fuisse e gente Asdingorum Jornandes tradit (c. 22.) quod nomen genus indicet bellicosissimum. Quo rege cum Asdingi ab alia Gothorum parte usque ad perniciem vincerentur, sedibus relictis Pannoniam a Constantino iis traditam tenuere, usque ad id tempus, quo Stilichone adhortante et Alanorum copiis adjunctis Gallias peterent. [12]) Vandali autem, cum Gallias peterent, in aliam suae stirpis gentem, cui Silingorum erat nomen et quae in Rhaetia et Vindelicia sedes fixerat, inciderunt.

12) Apud Jornandem c. 22. Vandalos in Pannonia non plus minusve XL annos habitasse legitur. Fortasse XC legendum est, aliter enim temporis ratio cum rebus gestis non convenit.

Inde Vandali conjuncti ad Gallias pergebant; Silingorum autem nomine posthac saepius audito, Asdingorum nomen evanescit.

Procopius quidem (Vand. I. p. 9. Goth. V. p. 419 ed. Grot.) Vandalos antiquitus ad Maeotidem sedes habuisse tradit; at hujus rei nullum aliud exstat documentum, neque quo loco ibi habitare potuerint intelligitur. Videtur Procopius, quae de aliorum Gothorum et praecipue de Alanorum ad Maeotidem sedibus acceperat, ad Vandalos quoque retulisse.

§. 13.

De Juthungis.

Plerique nostri temporis scriptores in eo conveniunt, hanc gentem inter Gothicas esse habendam. Documenta quidem, quibus hoc probetur, non certissima sunt, attamen rerum statui haud repugnant. Juthungi non modo a Dexippo Scythae nominantur, sed omnes scriptores, qui bellum ab Aureliano contra Juthungos gestum attingunt, Scytharum tantum faciunt mentionem, quo nomine ii potissimum dicebantur barbari, qui ab Aquilone profecti Pannoniam aggrediebantur. E Dexippo script. Hist. (Byzant. I p. 5.) eos Danubium transgressos in Pannoniam venisse constat et in tabula Peutingeriana sedes eorum a Danubio Orientem versus notatae sunt. Ammianus Marcellinus (XVII, 6) Juthungos Alemannorum partem dicit, eam, ut videtur, ob causam, quod ipsius tempore tractus Italiae conterminos tenerent. Nam Juthungos Alemannorum non fuisse gentem, jam inde colligi licet, quod ipse Ammianus, cum Juthungi Constantio et Juliano Impp. Rhaetiam infestarent, ab his praeter solitum oppidorum tentata esse obsidia dicit. Alemannorum autem quanta fuerit oppidorum oppugnandorum peritia, historia docet, cum nunquam contra Romanos bellum gererent, quin multa et munitissima castella iis essent expugnanda.

Juthungi Aureliano Imperatore primum memorantur. Cf. quae Dexippus (l. c. p. 12) de eorum legatione ad Aurelianum missa memoriae tradidit. Juthungorum legati, ut solitas pecunias a Romanis acciperent, missi apud Aurelianum, suam gentem Istro trajecto totam paene Italiam quondam cepisse et Juthungorum copias ex quadraginta millibus equitum et duplici scutorum, id est, peditum numero constare, gloriantur. Posthac Juthungorum nomen etsi corruptum in Eumenii paneg. Constantini Chlori c. 10 legitur, ubi una cum Sarmatis, Quadis et Carpis Vithungi dicuntur profligati.

Haec gens, cujus sedes antea ultra Danubium erant sitae, Ammiani tem-

pore tractum quendam Rhaetiae et Italiae confinem tenuit. Videntur autem hoc tempore numero non admodum valuisse. Longo temporis spatio praeterlapso ejusdem gentis a Prospero Aquit. mentio fit (cf. ejus Chron. in Scalig. thesaur. temp. p. 51) ubi Aëtium Juthungorum gentem aggressum esse traditur. Idem testatur Idatius in Chron. ad annum Theodosii jun. sextum. Ad eandem gentem Vithungorum pertinere videtur nomen, quod a Sidonio Apoll. in paneg. Aviti exhibetur, praesertim cum una belli Norici ibi fiat mentio.

§. 14.

De aliis quibusdam gentibus, quae inter Gothos numerari solent.

I. De Burgundiis.

Cum hujus populi antiquissimae sedes in iisdem positae fuerint terris, e quibus reliquos Gothorum populos exiisse constat, id est, ad Vistulam flumen, partem Burgundiorum Gothis se adjunxisse verisimile est. Et re vera Burgundiorum nomen, etsi corruptum, apud Zosimum occurrit, a quo (I, 27. 31.) traditur, Urugundos una cum Gothis aliisque populis Romanorum terras e navibus egressos vastasse. Agathiae quoque afferri licet testimonium, qui Burgundiones Rheni accolas Gothicam fuisse gentem dicit (cf. Hugonis Grot. hist. Goth. p. 532); attamen ab Agathia Gothicum nomen Burgundiis eam ob causam videtur inditum esse, quod Burgundiorum gens, quae illo tempore ad Rheni ripas habitabat, Theodorico Gothorum in Italia regi subjecta esset. [13]) Cum autem, si qui Burgundiorum Gothos ad terras orientales tendentes sequuti sunt, neque de sedibus, neque de rebus eorum gestis quidquam certi constet, in reliquorum Burgundiorum res inquirere a re proposita alienum est.

II. De Varinis.

Hujus quoque gentis sedes iis fuere vicinae, quas Gothi antiquissimis tenuere temporibus. At Gothis orientem petentibus, Varini ad terras occidentales progressi sunt, ita ut saeculo quinto circa Rheni ostia versarentur et cum Francis conjungerentur. cf. Proc. Goth. p. 468. ed. Grot. Varinorum aliquoties in rebus Gothicis mentio fit cf. Jorn. c. 44. at eos ad Gothos re vera referendos esse non traditur.

---

13) Agathiae his in rebus nulla fides habenda est. Alio enim loco Hunnorum quosdam Βουρουγουνδους nominatos esse dicit, idemque Brittones genus nominat Hunnicum.

III. De Thuringis.

Thuringorum originem a Gothis esse repetendam, nostra quidem aetate multis probatur; quae quidem sententia quovis historiae caret testimonio. Similitudo, quae, ut nonnullis visum est, inter Thuringorum et Thervingorum nomina intercedit, omnino nulla est. Conjuncto autem Thuringorum et Varinorum, qua praecipue illa sententia nititur, nullis certis documentis probatur. Praeterea, cum de ipsorum Varinorum origine Gothica nihil certi constet, ex ejusmodi conjunctione, Thuringos fuisse Gothos, non sequeretur. [14])

Caput II.

De Ostrogothis et Visigothis.

§. 1.

De scriptoribus, apud quos ante Jornandem Ostrogothorum et Visigothorum nomina leguntur

Praeter nomina singulis populis, de quorum sedibus et rebus gestis capite priori exposuimus, propria, duo nomina, quibus Gothorum partes designarentur, apud scriptores et antiquos et recentes celeberrima sunt, Ostogothorum et Visigothorum nomina. Cum autem nobis in horum nominum originem inquirere propositum sit, singulos scriptores haec nomina exhibentes, quousque in communem usum videntur abiisse, haud a re alienum duximus proferre. Qua in re principio monendum est, utrumque nomen non eodem tempore, sed Ostrogothorum multo antea, quam Visigothorum audiri nomen. Primus apud quem Ostrogothorum nomen exstat, Trebellius Pollio est nominandus (vita Claud. c. 6.). Post hunc idem nomen a Claudiano uno tantum loco (in Eutrop. II, 152) exhibetur. Alio quidem ejusdem poëtae loco (in Stil. I, 94.) nonnullis in codicibus Vesorum nomen legitur, quo nomine ab aliis poëtis sequentis aevi Visigothi designantur; plurimi autem codices et optimae editiones Mysorum nomen exhibent. Revera in Mysorum nomine aliquid inest, in quo jure offendere possis. Stilicho enim, de cujus laudibus illo loco agi-

---

14) Unum tantum indicium ad cognationem quandam Thuringorum et Gothorum spectans mihi innotuit. In excerptis de legationibus (cf. Script. Byz. I, p. 15.) Enulphi seu Onulphi cujusdam fit mentio, qui, ut e fragmento Malchi apud Suidam cognosci licet, patris genere Thuringus (nisi forte Turcilingus est legendum) matris autem genere Scirus fuit. Apud Germanos autem connubium mutuum inter gentes tantum ejusdem stirpis solemne erat.

tur, non Moesos, sed Gothos, Moesis ipsis molestissimos in fugam compulit. Hunc esse illius loci sensum dubitari nequit, praesertim alio Claudiani loco collato (IV Consul. Honorii v. 53):"

„Cum Geticis ingens premeretur Moesia plaustris.

Attamen Mysorum nomen esse legendum non modo Codicum auctoritas suadet, sed etiam illud, quod Claudiani tempore ipsum Visigothorum nomen adhuc ignotum videtur fuisse. Quod Sidonio Apollinari, cujus tempore Visigothorum nomen in communem notitiam evaserat, largiendum fuit, Claudiano minime possumus concedere. Praeterea gentes peregrinas a terris occupatis nominare Romanis usitatum fuisse satis constat, quod facillime praesertim a poëta in ea gente nominanda potuit fieri, quae circiter viginti annos Moesiam tenuit. Accedit, quod poëta neque Gothorum neque Getarum nomine, quippe quod primam syllabam corripiat, uti potuit. [15]) Claudianum sequitur Sidonius, apud quem utrumque nomen legitur et Visigothi ab eo Vesi dicuntur. [16]) Post hunc integrum Visigothorum nomen in libro auctoris ignoti, a Valesio primum editi, exstat. Jornandi, qui hunc excipit, utrumque nomen solemne est et per hunc scriptorem Ostrogothorum et Visigothorum nomina praecipue in communem usum videntur abiisse. A Jornande Ablavius quidam his nominibus usus esse dicitur, at de tempore, quo scripserit omnino nihil constat. Sequenti tempore apud scriptores occidentales utrumque nomen admodum est usitatum; scriptoribus autem Graecis, nullo excepto, Visigothorum tantum nomen cognitum est, quod nomen apud illos in Procopii scriptis primum occurrit.

§. 2.

De illorum nominum significatione.

E litteris Gothorum, quae versione scripturae sacrae ab Ulphila facta continentur, nomina haec derivandi copia non datur. Una tantum ibi occurrit vox, quae cum Visigothorum nomine quandam habet similitudinem. Weihs

---

15) Hoc in loco explicando eam ob causam uberiores fuimus, quod multi scriptores in Gothorum rebus decribendis ad eum respicere solent, et quod, si Vesorum nomen ibi legeretur, haud parvi esset momenti.

16) Afferri liceat integrum Sidonii locum (Panegyr. Majorani) qui utrumque nomen exhibet, quique egregio est documento, quemadmodum poëtae hujus aevi populorum nomina nulla neque temporum neque locorum habita ratione conjungant:

— — — — — Quidquid languidus axis
Cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa,
Hoc totum tua signa pavet: Bastarna, Suevus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites
Bisaeta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus
Post aquilas venere tuas. — — — — — — —

enim apud Ulphilam et oppidulum moenibus non cinctum et sapientem designat, ita ut Visegothorum nomen vel Gothos in vicis habitantes vel Gothos sapientes significet, quae prior significatio in Gothos cadere posset, qui Daciam a Romanis relictam tenuere; qui cum in oppidis et vicis Romanorum habitarent, facile fieri potuit, ut a reliquis Gothis Gothi in vicis habitantes, ipsorum sermone Vesegothi dicerentur. At ejusmodi sententia non modo quovis testimonio caret, sed nomen etiam ad certum tantum aliquod tempus, quo Visigothorum nomen nondum videtur natum fuisse, referendum esset. Accedit, quod, quae Ostrogothorum vocis fuerit vis, inde minime liquet. Itaque ad alia confugiamus subsidia necesse est. Plerique quidem scriptores, qui his nominibus utuntur, de eorum significatione nihil tradunt. Quidam vero in eo videntur convenire, haec nomina Gothicae esse originis et a terrarum situ depromta. Jornandes, qui Gothici sermonis gnarus esse debebat, ipse quidem dubius est, acceperintne Ostrogothi nomen a sedibus orientalibus, an ab Ostrogotha rege (cf. c. 14), tamen ex hoc loco Ostrogothos nomen a sedibus trahere potuisse sequitur. Praeter omnes Paulus Aemilius (de rebus gestis Francorum I. fol. 4) claris prodit verbis, Ostrogothos ipsorum lingua Gothos orientales et Visigothos Gothos occidentales significare. Et re vera ex antiquissima Germanorum lingua nomina illa sensum ab Aemilio designatum produnt. Vocem Austur id, quod Orientem versus est, significasse, e priscis vocibus Austurike, Austruaat cognosci licet, quae Barthio teste (*Deutschlands Urgeschichte* X, 1. *Bd.* p. 152) terram orientem versus sitam et fines orientales denotant. Idem sensus inest vocibus Austurweg et Eistarsalt, quae sunt maris Germanici, quamvis antiquae, tamen non insolitae appellationes. Ist autem, eodem viro doctissimo teste, antiquissimo Germanorum sermone Occidentem indicat. Quae cum ita sint, nomina illa apud Gothos ipsos Austurgothos et Ist-seu Wistgothos audivisse verisimile est, a Graecis autem et Romanis ad sermonis sui lenitatem flectebantur. [17])

§. 3.

De variis sententiis, quae de illorum nominum origine proferuntur, in universum disputatur.

Ostrogothorum et Visigothorum nomina a terrarum situ esse exorta, vix

---

17) Occasione data quaedam de ipsius nominis Gothici significatione addamus. Quam multae et diversae a viris doctis hac de re prolatae sint sententiae, haud ignari sumus. Videtur autem praeter alios Isidorus Hispal. probandus esse, qui Gothorum nomen ipsorum lingua fortes significare tradit; itaque Gothorum nomen optime convenit virorum fortium conjunctioni, qui laudis cupidi et virtutis suae sibi conscii nomine quoque honorifico gaudent.

in dubium vocari potest et hac in re scriptorum, qui Gothorum res attigere, longe plurimi consentiunt. De tempore autem, quo nata sint et de populis, qui utrique nomini adscribendi sint, magna exstat sententiarum diversitas. Discriminis enim istius origo vel ab ipsis sedibus, quas Gothi in Scandinavia tenuisse dicuntur, repetitur, vel ad tempus, quo Gothi terras a Danubio Aquilonem versus sitas et Ponto Euxino vicinas incoluere, vel ad illud tempus, quo Gothorum longe plurimi Danubium transgressi in Romanorum terris versarentur, refertur. In has singulas igitur sententias sequenti disputatione inquiramus, quaeque praeter reliquas rerum statui maxime convneiat sententia et certissimis nitatur argumentis videamus.

§. 4.

De sententia eorum, qui Ostrogothorum et Visigothorum nomen e Scandinavia repetunt.

Pauci tantum scriptorum, quibus in re historica quidquam tribuendum est, hanc sententiam tuiti sunt, quae re vera incertissimis tantum gaudet indiciis. Argumenta autem, quibus eam probare conantur, potissimum haec sunt: Gothos e Scandinavia prodiisse, certum esse; cum autem Jornandes ipse Ostrogothorum in Scandinavia faciat mentionem et posteris temporibus Ostrogothorum et Vestrogothorum nomina ibi compareant, Ostrogothorum quoque et Visigothorum discrimen inde repetendum esse.

At ipsa illa Gothorum e Scandinavia migratio adhuc a multis viris doctissimis vel optimo jure in dubium vocatur. Nam si ad amplum illum terrarum ambitum respexerimus, quem Gothi saeculo quarto occupaverant, si tot populorum, qui ad Gothos referuntur et multitudinis hominum, qua viguerunt, rationem habuerimus, non potest non eorum sententia, qui Scandinaviam omnium Gothorum prosapiam esse volunt, admodum vana videri; praesertim cum Sueciam illo antiquissimo tempore multo magis lacubus, stagnis et recessibus maris distentam fuisse, quam nostro tempore fit, satis constet.[18]) Ostrogothorum autem nomen, cujus Jornandes in Scandinavia describenda mentionem facit, ut statuas, neque ipsum neque quemvis alium in scribendo lapsum esse, non ad tempus, quo Gothos e Scandinavia prodiisse dicit, sed

---

18) Aliquos inde prodiisse non negatur. Fortasse, quae Jornandes de illa profectione tradit, non omni veritate destituuntur. Nam Herulos ibi sedes habuisse admodum verisimile est. cf. Cap. I, §. 6. Si Jornandes re vera, quae de illa migratione Gothorum e Scandinavia usque ad Maeotidem tradit, e priscis eorum carminibus hausit, ad unum tantum populum, fortasse, eorum, qui Alani dicebantur, referenda videntur esse. Itaque in eo tantum peccavit, quod, quae unius tantum populi fuere, ad universum nomen retulit.

ad tempus, quo ipse scripsit, pertinet (cf. c. 3). Posterioribus autem temporibus Westergothos et Ostergothos in Suecia comparere, satis constat; at primus, per quem horum populorum nomina innotuere, Adamus est Bremensis, qui saeculo vixit undecimo. Demonstrandum igitur esset, haec nomina jam multis saeculis ante usitata fuisse. Quod ut concedatur, tamen hoc tantum inde sequeretur, Gothis usum fuisse a terrarum situ nomina assumendi. Nam illud quidem non facile quisquam statuet, Gothi cum in duas partes discreti e Scandinavia profecti essent, utramque partem ita in migratione semper locum suum tenuisse, ut sedes quovis tempore appellationi responderent. Praeterea Gothi, si Jornandem sequimur (cf. c. 4) in migrando per pontem interruptum in duas divisi sunt partes, quae nunquam iterum conjungebantur. Sin autem, ut illi volunt, Visigothi migrantes locum tenuere, qui propius spectabat Occidentem, eos nunquam cum reliquis Gothis ad Pontum Euxinum pervenisse sequeretur.

§. 5.

De sententia eorum, qui Ostrogothorum et Visigothorum nomina ante Hunnorum adventum exorta esse censent.

Plerique scriptores et quorum auctoritati plurimum est tribuendum, Ostrogothorum et Visigothorum nomina illo tempore exorta esse censent, quo Gothi amplum illum terrae tractum, qui a finibus Daciae Occidentem spectantibus usque ad Pontum Euxinum et Tanaim flumen porrigitur, incoluere, ibique Gothos in duo populorum foedera, Ostrogothorum et Visigothorum nominibus discreta, divisos fuisse opinantur; praeterea tanquam potentissimus Ostrogothorum populus Greuthungi et inter Visigothos qui primum tenuerint locum, Thervingi denotantur. Ad quam sententiam probandam argumentis uti solent, quae vel a scriptorum antiquorum testimoniis vel a singulorum populorum sedibus et rebus gestis repetuntur. Plerumque autem, qui de rebus Gothorum scripsere, Jornandem, quippe qui origine Gothus gentis suae res gestas suscepit scribendas, sequuti sunt. Itaque de hujus scriptoris testimonio accuratius et uberius disserendum est. Praeter hunc ad Pollionis quoque, Claudiani, Ablavii testimonia respiciamus necesse est.

§. 6.

De fide, quae Jornandi rerum Gothicarum scriptori sit habenda.

Jornandi plerumque multum auctoritatis tribui solet et revera liber, quem de rebus Geticis scripsit multas res continet, quarum memoria sine hoc libro interiisset. Attamen non sine maxima cura et continuo judicio legendus est. Vix enim dici potest, quot et quanti errores temerario hujus libri usu in ple-

raque, quae de Gothorum rebus gestis et de universa historia exstant scripta, irrepserint.

Omnis autem vis, quae scriptoris alicujus testimonio tribuenda est, a duabus potissimum pendet causis, una, proposueritne ipse sibi scriptor, quae de rebus gestis sibi cognita essent, libere et veritati convenienter tradere, altera, fueritne vitae conditio, mentis animique indoles et disciplina ea, ut, quae vera essent scire posset. Quod ad illud attinet, Jornandem, quae vera essent, dicere voluisse, facile concedi potest. Quando a veritate ad fabulas et commenta aberrat, ipse inscitia et judiciis praeconceptis fallitur; sin autem quaeritur, potueritne, qui verus rerum status fuerit, scire, multa obstant, quominus integra fides ei haberi possit.

1. Quod ad antiquiorum Gothorum historiam attinet, Jornandes seriori vixit tempore, quo jam difficile erat, qui verus rerum status fuerit, perspicere; itaque suspicio, eum, qui suo tempore fuerit rerum status, ad priora tempora retulisse, nunquam satis removeri potest.

2. Jornandi ad veritatem perspiciendam rerum notitia, judicii acies et disciplina deerant. Hoc cognosci licet ex obscura ejus et inconcinna dicendi ratione; imo nonnunquam ad res absurdas delabitur. Conferantur, quae c. 3. de situ Scanziae et Scythiae tradit. 19) c. 5. et 12. Danubii descriptio. c. 48. quae de Walamiro et quae c. 50. de Candace et Gunthige Alanis dicit. Quam parum sibi constiterit, cognosci licet ex iis, quae c. 5. de Istro et Danubio et c. 12. de Daciae situ, quae c. 19. de Alarico Balta, quae c. 33. de Berismundo Amalo ad Visigothos migrante dicit; et hujus inconstantiae indicia alia multa exstant. 20) Quam malam temporum et locorum habuerit rationem haec tantum afferri liceat documenta. Quemadmodum Jornandes tradit c. 24, Hunni Maeotidem transgressi, antequam Gothos impugnarent, Alipzuros, Tuncassos, Itamaros, Boiscos aliosque populos subegere. Prisco autem teste (cf. p. 47. Byzant. I.), cui major fides est habenda, hoc Ruo seu Rova Hunnorum rege, id est, sexaginta annis post factum est et populi illi non Maeotidis sed Istri fuere accolae. 21) Quod autem ad locorum attinet notitiam, e Jornandis opinione (c. 1.) Baleares et Orcades insulae in eodem sitae sunt Oceano.

3. Accedit, quod gentis, cujus res suscepit scribendas, neque mores neque res gestas novit. Quodsi vera Jornandi de Gothorum moribus et rebus

---

19) Hujus loci obscuritate Mohnius (*Geschichte des nordischen Heidenth.*) seductus est, ut opinaretur, Vagi fluvium a Jornande in Scandinaviam referri.

20) Alia quaedam potius a codicum corruptela et editorum negligentia, quam a Jornande ipso repetenda esse haud nescii sumus. cf. quae c. 14. et c. 48. de Walamiri, Theodemiri et Vidimiri patre traduntur.

21) Jornandem, quae de his populis tradit, ex ipso Prisco hausisse verisimile est. Et haec res, quemadmodum scriptoribus veteribus, ut inde paucos flores colligeret, usus sit, indicio esse potest.

gestis erat notitia, nunquam Scytharum res gestas ad Gothos referre debuit. Multo minus autem ferri potest, quod Dionem in libro, cui Geticorum fuit nomen, Gothorum res descripsisse opinatus est. Qua in causa tam temerarie rerum intervertit statum, ut fraudis suspicio vix removeri possit; et memoratu dignum est, nostra quoque aetate nonnullos scriptores ab hac opinione haud alienos esse. Attamen Herodotus, Strabo, Stephanus Byzantinus et Menander Getas inter gentes Thracicas referunt et Strabo Getas eodem quo Thraces usos esse sermone claris asserit verbis. Si vero Adelungio fides est habenda, sermo Thracicus a Germanico prorsus erat diversus. Quantos autem in errores Jornandes illa opinione ductus inciderit, illa, quae de pileatis et capillatis tradit, clarissimo sunt documento. Capillorum magnum apud Gothos fuise honorem et praecipuam curam, neminem, rerum Gothicarum memorem, fugit; at inter Daços et Getas, ad quos solos, quae c. 11. a Jornande traduntur, pertinent, capillati qui dicebantur, nullo gaudebant honore neque ullo munere honorifico fungi iis erat permissum. cf. Patricii fragm. in excerpt. de legat. ed. Hoeschel. p. 24. Zonar. I, p. 584. ed. Venet. Dio Chrys. or. LXXI. p. 628. Conferantur praeter illa, quae Jornandes (c. 11.) de studiis Gothorum philosophicis, physicis et astronomicis nobis persuaderi vult, cum iis, quae Theodoricus de pueris educandis censuit. Proc. Goth. I. p. 143. ed. Grot. [22]).

Gothicae historiae antiquioris Jornandem prorsus ignarum fuisse multis e rebus liquet. Singulorum populorum nomina ei videntur ignota fuisse. Qui autem fieri potuit, ut Greuthungorum, Thervingorum aliorumque nomina celeberrima, eum laterent? Opinioni adstrictus, tres tantum ab initio fuisse Gothorum populos, Ostrogothos, Visigothos et Gepidas, omnes reliquos omisit. Non minor Jornandis inscitia in Athanarici rebus gestis apparet. De hujus viri rebus priori tempore gestis omnino nihil ei innotuit et e Jornandis opinione Athanaricus post Fridigerni mortem omnium Gothorum, qui Danubium trajecerant, rex est factus. cf. c. 28. At Fridigernum tum temporis, quo Athanaricus Constantinopolin se contulit, jam mortuum fuisse, minime constat, [23]) neque Athanaricus omnium Gothorum, qui in Romanorum terris versabantur, rex est factus, sed ipsius rebus per Fridigernum aliosque Gothos, ut videtur, eversis cum comitum manu non ita magna ad Theodosium confugit et

22) Cap. 9. Jornandes dicit, se superiori loco Getas eosdem esse ac Gothos probasse, sed frustra toto in libro ejusmodi probationem quaesieris. — Quo magis autem Gothos prioribus temporibus Getas esse dictos clareat, a Jornande non Gothi sed Gothae videntur dicti esse.

23) Gibbonius etiam Fridigernum ante Athanaricum mortuum esse tradit, sed argumentis non allatis. Videtur ipse Jornandem sequutus esse.

brevi post obiit (anno 381 ineunte) cfr. 1. Zos. IV, 34. quocum Ammianus XXVII, 4 consentit.

4. Historiam Gothorum priscam Jornandi ignotam fuisse, fortasse non tam culpae ei est ducendum, quam fides ejus inde minuitur. At ipse quaedam, quae non minimi sunt momenti, finxit. Ut antiquam Ostrogothorum et Visigothorum originem probaret, inde a temporibus admodum vetustis duas celeberrimas familias inter utrumque populum regnasse demonstrare conatur. De clarissimo Amalorum genere Jornandis tempore nemo dubitavit. Ut autem inter Visigothos quidquam haberet, quod Amalis responderet, Baltarum quandam familiam inter Visigothos regnantem finxit, nullo scriptorum testimonio comprobatam. Dicit enim Jornandes (c. 5.), tertia in sede divisis per familias populis Vesegothas familiae Balthorum, Ostrogothas praeclaris serviisse Amalis; et c. 29. haec ejus sunt verba: Ordinant super se Vesegothae regem Alaricum, cui erat post Amalos secunda nobilitas Baltarumque ex genere origo mirifica. Attamen Jornandes ipse suis verbis indicat Alaricum non e jure hereditario, sed e communi Gothorum consilio, regnum accepisse, eodemque loco testatur Alarico Baltae cognomen ob audaciam inditum esse, quod balta Gothorum sermone audacem designet. Ex Zosimo (V, 5.) cognoscimus, Alaricum ducem fuisse Gothorum, quorum imperium Theodosius ei mandarat. Alaricum autem unum fuisse, cui Baltae nomen esset, inde patet, quod ipso mortuo Ataulfus rex est constitutus, qui Alarici conjugis frater ad eandem familiam non videtur pertinuisse. cf. Zos. V, 37. et Olympiodori fragm. in script. Byz. tom. I. Ataulfo interfecto, cujus liberi superstites fuere, Sigerichus, Sari, qui perpetuus fuerat Ataulfi adversarius, frater rex Visigothorum est factus (cf. ejusdem Olympiodori fragmenta.) ita ut tum temporis inter Visigothos nondum certum quoddam succedendi jus constitutum fuisse videatur.

Amalorum autem in Ostrogothos dominium neque tam vetustum neque tam praeclarum, ut Jornandes tradit, fuisse, certa quaedam indicia sunt, neque ipse Jornandes hac in re sibi constitit. Quamquam saepius Amalorum inter Gothos auctoritatem et famam celebrat, tamen inde ab Amala generis auctore usque ad Hermanaricum unus tantum Ostrogotha ex Amalis oriundus tanquam Gothorum rex commemoratur. De Berismundo ad Visigothos migrante idem dicit (c. 33.) neminem Visigothorum facta eligendi copia, de Berimundo ob generis amplitudinem in regnum eligendo dubitaturum fuisse, attamen nullus Amalorum, copia saepius facta, a Visigothis electus est. Amalorum autem gentem non omnium Ostrogothorum regnum tenuisse, ipse Jornandes quibusdam locis prodit. Capite enim 48. ubi de rebus Ostrogothorum sub Hunnorum dominio gestis agit, Sigismundi cujusdam mentionem facit, cui in amplam Gothorum partem moderamen fuerit. Hunc autem ad Amalorum familiam non pertinuisse, ex Amalorum genealogia licet cognosci. Alio loco

(c. 52.) Theodoricum, Triarii filium, [24]) commemorat, alia stirpe non Amalorum, procreatum, cujus res admodum florerent. Ex aliis autem scriptoribus cognitum habemus, hunc Theodoricum maximi Gothorum numeri fuisse ducem, eoque vivo Theodorici Amali res non admodum floruisse. Conferantur fragmenta illa Malchi cognitu dignissima. Script. Byz. tom. I. ed. Ven. Evagr. hist. eccl. III, 25. Rationem, quae inter Theodoricum et Gothos qui eum sequebantur, intercederet, ut cognoscamus, idem Malchus legatur (Byz. tom. I. p. 90.), quo loco Theodoricus, qui Triarii dicitur filius, coram ipso Theodorico Amalo ejusque exercitu, Gothos Theodoricum Amalum sequutos non deteriore genere, quam ipsum Theodoricum, ortos esse dicit. Gothi autem, qui Theodoricum Amalum sequebantur, ut pacem cum Triarii filio iniret, eum coëgerunt, sin minus, se, quod ipsis utile esset, amplexuros eumque deserturos minati. Quibus ex rebus Jornandem in Amalorum gente celebranda multa, quae historiae non convenirent, addidisse, satis patet; quod Amali ipsius cujusdam testimonio probatur. Apud quem enim potissimum generis clari notitiam exspectaveris, nisi apud eum, qui ipse inde originem duxit? Si re vera ea erat Amalorum antiquitas et fama, quam fuisse Jornandes nobis persuaderi vult, sine dubio hujus gentis laudes Gothorum carminibus et sermonibus celebrabantur. At epistola Athalarici quadam de Cassiodori meritis ad senatum Romanum scripta (Cassiod. Var. VIII, 25.) docemur, reges Gothorum longa oblivione celatos latibulo vetustatis eductos esse et per eundem Cassiodorum Amalos cum generis sui claritate restitutos esse. Nonne inde eorum, quae Cassiodorus de Amalorum historia contulerat, Athalarico nihil cognitum fuisse sequitur? Etsi epistolam illam a Cassiodoro ipso scriptam esse conceditur, quae contra Jornandem pugnant, non removentur.

Quibus e causis satis liquet, Jornandem non eum esse scriptorem, cujus testimonio, praecipue ad Gothorum antiquitatem spectante, certam aliquam sententiam superstrui liceat. At dicet quispiam, tu ipse ejus testimonio saepius usus es, quomodo hoc cum sententia modo a te prolata convenit? Huic unum hoc respondebimus, vel optimo et probatissimo scriptori evenire solere, ut non in quavis re fides integra ei habeatur; quamquam inde earum rerumfides, quae aliorum testimonio comprobantur et rerum statui conveniunt, haud infringitur.

---

24) Hic Theodoricus, Triarii filius, cognomine Strabo, apud scriptores Byzantinos celeberrimus est. De origine ejus et qui fuerit pater ejus nihil constat. Videtur autem e gente natus esse, quae Amalis neque potentia neque fama cederet. Aspar celeberrimus ille et potentissimus Gothorum et Romanorum dux, qui Leone Imperatore maximis fungebatur honoribus, Theodorici hujus sororem in matrimonium duxerat. cf. Theophanes p. 100.

§. 7.

De iis, quae Jornandes de Ostrogothorum et Visigothorum origine tradit.

Quemadmodum Jornandes tradit, usque ad Hermanaricum et Hunnorum adventum Gothi uni tantum semper regi erant subditi cf. c. 17. Hunnis autem irrumpentibus Vesegothi ab Ostrogothis divisi sedibus relictis et Danubio trajecto in Romanorum transiere terras, cf. c. 24. et 25. Ostrogothi autem Hermanarico mortuo Hunnis subjecti sedes suas retinuere, usque ad illud tempus, quo Attila mortuo et Hunnorum rebus eversis Pannoniam occuparunt. cf. c. 48. et 50.

E Jornandis igitur sententia Ostrogothorum et Visigothorum discrimen ante Hunnorum adventum nondum erat factum, et quamquam utrumque nomen jam Ostrogotha rege commemorat cf. c. 17., tamen illo loco nihil aliud significatur, quam Gothorum partes posthac divisas Ostrogotha rege adhuc conjunctas fuisse. At haec Jornandis narratio, quam de Ostrogothorum et Visigothorum origine et migrationibus et rebus eorum proximo tempore gestis protulit, multis tenetur difficultatibus

1. Quam falsa et incerta fuerit Jornandis de Gothorum sedibus opinio, inde cognosci licet, quod totam Gothorum gentem juxta Maeotidem habitasse et in terris, quas eodem tempore cunctas tenuere, huc illuc migrasse nobis vult persuaderi. Omnino quae de variis Gothorum sedibus tradit, inter libri partem maxime obscuram referenda sunt. Primam eorum sedem Filimero regnante in Scythia fuisse dicit juxta Maeotidem (cf. c. 5.), secundam in Dacia, Moesia et Thracia, tertiam supra mare Ponticum, quo tempore in Visigothos et Ostrogothos divisi Amalis et Baltis servierint. Quocunque autem has sedes transtuleris, neque cum historia neque cum aliis Jornandis effatis conveniunt. Tertia enim sedes, quam supra Pontum collocat, neque ad Thraciam et Moesiam, quae quidem Provinciae ex parte Ponto vicinae sunt, referri possunt, cum hae terrae secunda Gothorum sedes fuerint, neque ad terras a Danubio septentrionem versus sitas, cum ipse dixerit, c. 17. Gothos supra Pontum habitantes nondum divisos fuisse. Quod autem ad Daciam, Moesiam et Thracias pertinet, quas secundo loco dicuntur tenuisse, alio loco (c. 25.) Gothos Danubium transgressos Romanorum permissu has ipsas terras incoluisse tradit. E qua sedium descriptione satis patet, Jornandi neque terrarum neque temporum, quibus Gothorum discrimen natum esse traditur, certam ullam fuisse notitiam.

2. E Jornandis narratione populus, cujus rex Hermanaricus fuit, sedes suas haud reliquit, sed, ut ipsius verbis utamur, in eadem patria remoratus est. cf. c. 24. et 48. Ammiano autem et Zosimo aliisque testibus tantus numerus Gruthungorum, quorum rex Hermanaricus (Amm. Marcell. XXXI, 3)

fuit, sedibus relictis Danubium trajecit, ut aliquos eorum remansisse, jure dubitari liceat. cf. huj. comment. c. I, §. 8.

3. Si Jornandem sequimur, omnes Gothi, Gepidis exceptis, in duas abierunt partes, in Visigothos et Ostrogothos. Attamen ipso teste c. 51. immensus Gothorum populus, cum Visigothi Hispaniam, Ostrogothi Italiam tenerent, Moesiam incoluere, qui neutri illorum parti adscribuntur.

4. Visigothis Danubium transgressis Ostrogothi in sua patria, id est, juxta Maeotidem remorati esse dicuntur. At quemadmodum prima hujus commentationis parte demonstratum est (§. 3 — 6) Gothorum populi, qui circa Maeotidem versati erant, sedibus relictis una cum Hunnis occidentales petiere terras. Praeterea Ostrogothos, qui a Jornande dicuntur, ab Hunnis incolumes post tergum relictos esse, quis verisimile esse ducat? Huc accedit, quod ipse Jornandes tradit, c. 48. Hunnimundum, Hermanarici filium, qui secundus ab hoc inter Ostrogothos regnaverit, contra Suevos, Dalmatiis vicinos neque a Pannonia multum distantes (Jorn. c. 53.) feliciter dimicasse. Quomodo haec cum sedibus Ostrogothorum Ponto vicinis conveniunt? [25])

Vidimus ergo, Jornandis narrationem de Ostrogothorum et Visigothorum origine et migrationibus neque per se stare neque cum aliorum scriptorum testimoniis conciliari posse. Itaque tota ejus narratio ad rem propositam discernendam nullius est momenti. Nominibus indigebat, hanc ob causam iis utitur, quae ipsius tempore usitata fuere, rerumque statum, qui tunc fuit, ad pristina retulit tempora.

§. 8.

De Ablavii testimonio.

A Jornande (c. 14.) Ablavius quidam testis affertur, cui nomina illa cognita videntur fuisse. At hujus testimonio uti nullo modo licet. Nam

1. Ablavii scriptoris nomen nusquam alibi legitur, ita ut neque de tempore, quo vixit, neque de patria ejus quidquam constet; qua ex re eum haud magni fuisse momenti sequitur. E Jornande (c. 23.) eum Graeco scripsisse sermone colligi licet. Jornandes quidem eum scriptorem historiae verissimum nominat, at hoc versissimi scriptoris nomen apud Jornandem nihil aliud videtur significare, quam qui proxime ad ipsius accesserit sententiam.

2. Locus ipse admodum obscurus est et, quae Ablavii fuerit sententia,

---

25) Quatenus illa, quae Jornandes c. 48. de Ostrogothorum rebus post Hermanaricum gestis tradit, cum veritate conveniant, aliis testibus deficientibus dici non potest. Attamen magna me subit suspicio, Jornandem falsa de Ostrogothorum origine sententia ductum, quae variorum essent populorum et locorum, in unum conjunxisse.

vix ab ipsius Jornandis verbis discerni potest. [26]) Quae ut missa facias, ex hoc quoque loco discriminis causa non perspicitur, neque magis, quo tempore sit exortum.

Praeterea Ablavius a Jornande ipso dissentit. Ut Jornandes tradit (c. 17.), Ostrogothae regis imperio tam Vesegothi quam Ostrogothi subjecti erant; ex Ablavii autem loco eum Ostrogothis tantum praefuisse sequitur.

§. 9.

De Procopii, Pollionis et Claudiani testimoniis.

1. A Procopio quoque, cui Visigothorum tantum nomen videtur cognitum fuisse, hoc nomen ad illa refertur tempora, quibus Gothi adhuc ultra Danubium habitabant. Procopium autem non minus antiquitatis Gothicae ignarum fuisse quam Jornandem, hoc unum indicio satis claro esse potest, quod Hunnis Tanaim transgredientibus Vandalos et Visigothos jam Hispaniam tenuisse tradit. cf. Proc. Goth. IV. p. 421 ed. Grot. et si revera jam tum Visigothorum et Ostrogothorum nomina in communem usum abierant, quo modo Ostrogothorum nomen Procopium fugere potuerit, minime intelligitur. Cur autem in eadem re, in qua Procopius errori obnoxius fuit, Jornandi fidem habeamus?

2. Unus, apud quem Ostrogothorum nomen ante saeculum quintum occurrit, Trebellius est Pollio, a quo (vit. Claud. c. 6) Austrogothi dicuntur. At paene omnia populorum, quae ibi exstant, nomina corrupta sunt, ita ut facile fieri potuerit, ut seriori tempore nomen Ostrogothorum omnibus notum pro corrupto aliquo et ignoto interponeretur velut Ostrogothorum nomen tanquam glossema ad Gruthungorum nomen pertinens adderetur.

3. Claudiani, apud quem Ostrogothorum nomen uno tantum loco legitur, testimonio ad sententiam illam probandam nihil efficitur, quod paene triginta annis post, quam Thervingi et Gruthungi Danubium transiere, hujus nominis fecerit mentionem, praesertim si hujus nominis origo, postquam Gothi in Romanorum solo versarentur, demonstrari potest.

4. Exstat praeterea locus quidam in historia miscella, quae dicitur, qui ad nostram rem videtur spectare, at liber iste non modo serioris est aetatis, sed locus ipse, si Mansoni fides est habenda, tam corruptus est et tam variae lectionis, ut eo pro argumento uti non liceat.

---

26) Locus sic audit: Ablavius enim historicus refert, quia ibi super limbum Ponti, ubi eos diximus in Scythia commanere, pars eorum, qui orientalem plagam tenebant eisque praerat Ostrogotha (incertum utrum ab ipsius nomine, an a loco orientali) dicti sunt Ostrogothae, reliqui vero in parte occidua Vesegothae.

§. 10.

De argumentis, quae a sedibus Gothorum et rebus gestis petuntur.

Vidimus ergo, nullum scriptorum testimonium certum proferri, quo Gothos ante saeculi quinti initium in Ostrogothos et Visigothos divisos fuisse probari possit. Afferuntur autem ad hanc sententiam probandam alia quaedam argumenta, a sedibus et rebus gestis petita, quae quidem non tam argumenta nominaveris, quam vias et modos varios, quibus Jornandis narrationem cum historia rerumque statu conciliare studuerunt. Quae autem hanc in rem proferuntur, haec fere sunt:

1. Quum primum Gothorum populi, sedibus antiquis relictis, ad Romanorum fines accesserunt, singuli duas terrarum partes admodum diversas petivere. Altera Gothorum pars Daciam aggressi sunt et ita continuis aggressibus Romanorum opes confecerunt, ut Aurelianus necessitate coactus hanc provinciam (anno p. Chr. n. 273.) barbaris relinqueret. Alteri Gothorum propius ad Orientem accesserunt et fertilissimos agros Maeotidi paludi et Ponto Euxino vicinos armis sibi comparaverunt. Hi a Gothis Daciam incolentibus Ostrogothi, illi ab his Visigothi dicti sunt.

2. Discrimen quoddam etiam in rebus Gothorum gestis cerni licet. Gothi enim, qui ad Pontum Euxinum sedes collocaverant, imprimis rei navali operam dedere et saepissime maxima navium copia profecti non modo Ponti oras maritimas populabundi vastarunt, sed etiam Hellesponto trajecto Thraciam, Macedoniam, Graeciam et insulas longius remotas depopulati sunt. Gothi autem, qui Daciam et terras Danubio vicinas tenuere, Moesiam, Pannoniam et Illyricum expeditionibus continuis vexaverunt. Quae res a duobus Gothorum foederibus videntur repetendae esse.

§. 11.

De argumentis, quae contra haec afferuntur.

Argumenta modo exposita levissimi sunt momenti. Gothorum populi, pugnae et praedae avidi, qua de causa diversas petierint regiones, e terrarum situ satis cognoscitur. Gothis enim Romanos aggressuris nulla alia patebat via, quam ut vel Istrum trajicerent vel navibus comparatis terras mari adjacentes ingrederentur. Duo autem fuisse tum temporis Gothorum foedera, Ostrogothorum et Visigothorum nominibus insignita, argumentis gravissimis in dubium vocari licet.

1. Nullum inter quosdam Gothorum populos arctius societatis vinculum fuisse, iis potissimum temporibus conspicuum est factum, quibus aliqua Gothorum pars a communi hoste oppugnabatur. Valens Imperator cum per tres

continuos annos bellum contra Thervingos gereret, neque Taifalorum, neque Gruthungorum, qui auxilio venerint Thervingis, fit mentio. cf. Amm. Marcellin. XXVII, 4. Duobus annis, quibus Valens Gothorum terras ingressus usque ad Gruthungorum fines penetravit, nulli Gothorum praeter Athanaricum cum Romanis arma conseruerunt. Quomodo hoc factum est, si Thervingi primum inter potentissimos Visigothorum populos tenuere locum? Multo clarius hoc liquet, temporum, quibus Hunni Gothorum res everterunt, habita ratione. Alanis, quos Gothos fuisse antea demonstravimus, cum ab Hunnis oppugnarentur, neque Gruthungi auxilio venerunt neque ipsi ad eorum subsidia confugerunt, sed post aliquot proelia ab Hunnis victi una cum his Gruthungos aggressi sunt. cf. Amm. Marcell. XXXI, 3. His Alanorum quidem pars aliqua succurrit, at praemio perducti, non ut sociis auxilio venirent, hoc fecerunt; neque alium populum a Gruthungorum parte stetisse traditur. Athanicus, Thervingorum dux, periculo imminente, copias cum Gruthungis haud conjunxit, sed usque ad eorum fines progressus substitit, Paulo post ipse ab Hunnis circumventus et loco cedere coactus in fugam se contulit, nulla Taifalorum et Victofalorum mentione facta. Tum demum, cum jam Gothorum res eversae essent et summa urgerentur necessitate, qui reliqui erant Gothorum, in unum conjuncti videntur esse. [27])

2. Sequitur quod nunquam certe dici potest, quinam populi ad Visigothorum quique ad Ostrogothorum nomen sint referendi. Plerique nostri temporis scriptores, qui Gothorum res attigere, Thervingos Visigothorum, Gruthungos Ostrogothorum praecipuum fuisse populum tradunt. Qua in re Jornandem videntur sequuti esse. Hic enim Hermanaricum Ostrogothorum regem dicit, ex Ammiano autem eundem Gruthungorum regem fuisse cognocitur, itaque Gruthungos inter Ostrogothos esse numerandos censuerunt. At idem Jornandes Ostrogothorum nullos Danubium trajecisse tradit, historia autem teste, Gruthungi sedibus relictis in Romanum solum transiere, ita ut e Jornandis sententia, qui Visigothos tantum transiisse vult, Gruthungi ad Visigothos pertinuerint. Omnino singulorum populorum sedes, quas seculo tertio et quarto tenuere, ejusmodi discrimini, quod Ostrogothorum et Visigothorum nominibus indicatur, haud aptae fuere. Thervingi a Gothis Daciam incolentibus Orientem versus habitabant, itaque Ostrogothi dici potuere; Gruthungi autem, qui Thervingorum ratione habita, potius Septentrionem, quam Orientem spectabant, ab Alanis Tanaim attingentibus Visigothi erant nominandi. Si revera haec nomina a terrarum situ erant desumta, ad Gepidas quoque erat respiciendum. Hi autem, cum illo tempore a Dacia Septentrionem versus habitarent,

---

27) Gruthungi, post Thervingos Danubium transgressi, consilio videntur evitasse, quominus cum his conjungerentur. cf. Amm. Marcell. XXXI, 5.

a magna Gothorum parte Gothi septentrionales, ab aliis occidentales erant dicendi. Ne quis Westfalorum, Ostfalorum et Anglorum afferat nomina, apud hos enim justa discriminis causa exstat et omnes hi populi ad unam Saxonum non Falorum gentem pertinent.

3. Si re vera Ostrogothorum et Visigothorum nomina ante saeculi quarti exitum exstitere, quomodo evenit, ut nulli scriptorum Romanorum, ne Ammiano quidem, qui maxima ex parte rebus contra Gothos gestis interfuit, neque cuiquam scriptorum, e quibus Zosimus historiam suam composuit, de his nominibus quidquam innotesceret? Et unde factum est, ut ipsis scriptoribus Graecis, qui posthac Ostrogothorum, qui dicuntur, res gestas uberiore stylo exposuere, ut Malcho, Procopio aliisque, Ostrogothorum nomen plane sit incognitum? Ne dicas incuria vel inscitia Romanorum hoc esse factum. Nam singulorum populorum nomina saepissime apud illos occurrunt, et Romani libenter nominibus utebantur, quibus complures populi una designarentur.

§. 12.

Quae cum ita sint, sententiam eorum, qui Gothos ante saeculi quinti initium in Ostrogothos et Visigothos divisos fuise censent, nullis certis niti argumentis, imo omnem ejusmodi sententiam multis magnisque teneri difficultatibus, cuique facile liquebit. Itaque Gothorum in Ostrogothos et Visigothos discrimen tum demum esse factum, cum maxima eorum pars in Romanorum versaretur terris, res ipsa docet. Cujus sententiae etsi certum alicujus scriptoris antiqui testimonium non exstat, tamen una a difficultatibus et controversiis, quibus reliquae tenebantur, est libera et rerum statui optime convenit. Antequam autem de vera nominum illorum origine agamus, quaedam de Gothorum statu et conditione, quae post Hunnorum fuerit adventum, praemittamus necesse est.

§. 13.

De rerum Gothicarum statu, qui post Hunnorum victoriam fuerit.

Vidimus ex iis, quae antea a nobis sunt prolata, Gothos qui Alani dicebantur, Hunnis Tanaim transgressis se adjunxisse et una cum his postero tempore terras occidentales petiisse. Gruthungi quoque et Thervingi sedibus relictis in Romanorum transiere terras. Quae cum ita sint, plerisque nostri temporis scriptoribus, Hunnos in horum Gothorum sedibus substitisse, reliquos autem Gothos, qui Daciam incolerent, sedes suas incolumes retinuisse probatur. Attamen horum quoque res mutatas esse his de causis colligi licet. Primum de Taifalis constat, eos magna ex parte Danubium transiisse (Amm. Marcell. XXXI, 9), Zosimus autem disertis prodit verbis, Taifalorum terras

ab Hunnis esse occupatas (IV, 25). Deinde proximo statim tempore Alani usque ad Pannoniae fines videntur accessisse. Amm. Macell. XXXI, 12. et saeculo quinto ineunte, Alani una cum Suevis et Vandalis Rheno trajecto Gallias invadunt. Sequitur, quod ipsi Hunni eodem tempore in Pannoniae confiniis comparent (Zosim. V, 37), ita ut Ataulfus et Hunnorum et Gothorum copias inde in Italiam deduxerit, et tertio saeculi quinti decennio Dacia praecipua Hunnorum fuit sedes. cf. Prisci fragmenta. Itaque Gothos inde expulsos fuisse constat. Quantae autem rerum commutationes tum temporis inter populos Danubii accolas factae sint, e maxima hominum multitudine, qui inde profecti in alias transirent terras, colligi licet. Fortasse Radagaisi, qui Gothis praefuisse et Danubio trajecto Italiam invasisse traditur, exercitus innumerus praeter Alanos et Vandalos e Gothis, qui antea Daciam incoluerant, erat compositus. cf. Zosim. V, 26. Olympiod. fragm. (Scirpt. Hist. Byz. ed. Venet. I. p. 146).

Itaque ab eo tempore, quo Thervingi unaque cum his magnus aliorum Gothorum numerus Danubium transirent, tanta hominum multitudo sequenti tempore hos sequuta est, ut Romanorum provinciae Danubio vicinae totae a Gothis occuparentur. Qui cum post pugnam apud Hadrianopolin factam licentius per reliquas Romanorum terras nullo prohibente vagarentur easque maximis afficerent cladibus, tandem a Theodosio Imperatore coërciti sunt et Romanorum imperium servatum est. Hic enim alios Gothorum praemiis et mercedibus sibi adjunxit eorumque auxiliis ad regnum stabiliendum usus est, alios fortitudine et prudentia sibi dicto audientes reddidit. Idem variis Gothorum partibus agros colendos assignavit, ita ut imprimis Pannonia (Zos. V, 37. Pacati paneg. Theodos. c. 32) Moesia et Thracia (Claud. Stilich. I, 94. IV Consul. Honor. 53) imo Phrygia et Bithynia (Claud. in Eutrop. II, 152.) a Gothis tenerentur.

§. 14.

De vera Ostrogothorum et Visigothorum origine.

Per Hunnorum incursionem, per ipsorum Gothorum de sedibus migrationes et per bella, quae iis essent geranda, Gothorum, qui in Romanum transiere solum, res ita sunt eversae et confusae, ut nullus populus integer remansisse videatur, nomina autem singulorum populorum penitus interierint. Itaque inde a saeculo quinto ineunte nullum amplius nomen, quo antea singuli populi distinguebantur, auditur, sed universi uno Gothorum nomine appellabantur. Inter hos Gothos, qui inter Romanos versabantur et quorum nomina antiqua interierant, Visigothorum et Ostrogothorum nomina exstitere et hi potissimum illis nominibus novis designabantur.

Haec nomina huc usque inaudita non certo aliquo tempore exstitere et

proximo quovis tempore in communem abiere notitiam, sed initio latissimae erant significationis et temporis tandem progressu certae quaedam Gothorum partes his nominibus designabantur. Theodosio mortuo omne Romanorum imperium in duo divisum est regna, quorum uni, quod orientale dictum est, Arcadius, alteri occiduo Honorius Imperator praefuit. Et inde ab hoc tempore Romanorum occidentalium nomina apud scriptores maxime solemnia esse coepere. Cujus rei cum apud omnes scriptores frequentissima exstent documenta, non est cur singula afferamus. Quod Romanorum discrimen, a terrarum situ depromtum, etiam ad Gothos, qui in utroque imperio versabantur, translatum est, ita ut Gothi, qui inter Romanos orientales habitabant, a Gothis in Italia et posthac in Gallia Hispaniaque degentibus, Ostrogothi, illi autem ab his Visigothi nominarentur. Primi autem videntur Romani hoc discrimine in Gothis nominandis usi esse, propterea quod aliae quoque gentes a Romanis in orientales et occidentales distinguerentur. Galli enim, qui Galliam proprie sic dictam incoluerunt, ut a Gallis, Phrygiae partem tenentibus discernerentur, Galli occidentales (Γαλάται οἱ ἑσπέριοι, Γαλάται οἱ δυσμικοί) nominabantur cf. Zos. IV, 24. Cand. Isaur. et Theophanes. (script. Hist. Byz. tom. I. p. 18. p. 155.). Hispani autem, qui Graecis Ἴβηρες audiunt, ut ab Iberis ad Caucasum habitantibus disinguerentur, Ἴβηρες ἑσπέριοι dicebantur. Itaque Gothi, cum prioribus nominibus ob rerum conversionem amplius uti non liceret, ipsi his nominibus utebantur. Quod Ostrogothorum nomen, antequam Visigothi, qui posthac dicebantur, ad partes occiduas tenderent, apud Claudianum occurrit, sententiae modo prolatae haud obstat. Claudianum enim in Italia, quae ad imperium occiduum pertinebat, vixisse et scripsisse certum est. Tempore autem, quo Claudianus carmina sua edidit, Gothorum numerus admodum magnus Romanis occidentalibus stipendia fecit. Etsi Taifalorum, qui priori tempore in Italiam traducti erant, nullam habueris rationem, quam multi Gothorum inter Romanos occidentales versarentur, ex eodem Claudiano cf. Get. 581. IV Cons. Honor. 485. et e Zosimo (V, 55) licet cognosci, qui barbarorum, qui Stilichonis signa sequebantur, usque ad triginta millia fuisse tradit; eosque maxima ex parte Gothici fuisse nominis, res ipsa ibi narrata docet. Qui Gothi eos Gothorum, qui in orientis imperio habitabant, alio nomine deficiente, Ostrogothos dixere. Claudianus autem, quem vera Ostrogothorum nominis significatio latuit, certi alicujus populi nomen esse opinabatur. Itaque factum est, ut Ostrogothorum et Gruthungorum nomina ab eo conjungerentur.

§. 15.

De Visigothis.

Visigothi ii Gothorum erant nominandi, qui in terris imperii occidentalis,

id est, in Italia, Gallia et Hispania versabantur. Ante omues autem ii Gothorum hoc nomine designabantur, qui Alarico et Ataulfo ducibus, postquam Graeciam et Italiam populabundi peragrassent, in Gallia et Hispania sedes fixerunt. Visigothos autem re vera a terris Romani imperii occidentalibus nomen traxisse, inde probatur, quod, antequam hi Gothi in Galliam pervenissent ibique aliquantum temporis habitassent, Visigothorum nomen non auditur, quamquam complures scriptorum, qui illo ipso vixerunt tempore, hujus migrationis uberiorem fecerunt mentionem. Certissimum autem indicium, Visigothos a terris occidentalibus imperii Romani esse appellatos, inde petitur, quod apud scriptores, qui inter hos Gothos vixere, apud Salvianum, Isidorum Hispalensem, Rodericum Toletanum aliosque Visigothorum nomen omnino non est usitatum. Gothi enim, qui Galliam Hispaniamque tenuere, a Gothis in Oriente versantibus Visigothi seu Gothi occidentales nominabantur, ut autem Visigothi ipsi nomine uterentur, omnino nulla fuit causa. Ut ipsi a Gothis orientalibus distinguerentur, Ostrogothorum sufficiebat nomen, quod re vera apud illorum scriptores occurrit. cf. Isidorus, qui Odoacrum Ostrogothorum dicit regem et Rodericus Tolet. I, 8. II, 1. Eadem res, quod ad Ostrogothos attinet, cognosci licet. Apud Gothos, qui in Orientis imperio habitabant et a Gothis in Gallia et Hispania Ostrogothi nominabantur, Ostrogothorum nomen eandem ob causam minime videtur usitatum fuisse. Neque Romanis fuit causa, qua ducti Gothos apud ipsos versantes Ostrogothos dicerent, neque Gothi proprio quodam nomine, ut a Visigothis distinguerentur, indiguerunt. Itaque nulli scriptorum orientalium Ostrogothorum nomen innotuit, neque ipsi Ostrogothi hoc nomine unquam videntur usi esse. cf. Procopii et Cassiodori scripta.

Qui autem singuli populi ad Visigothos pertinuerint, ut jam supra vidimus, dici non potest, cum nullus populorum, qui Danubium trajecerant, priscam retinuerit integritatem et nomina eorum paullo post penitus interierint. Ne de Alarico quidem, quo ex populo ortus sit, constat. E Claudiano quoque (IV. Cons. Honor. 105): „Alaricum barbara Peuce nutrierat“ vix quidquam certi licet colligi. Eum e generosta et nobili stirpe fuise natum, et ob auctoritatem, qua inter populares polluit et ob honores, quos a Theodosio accepit, admodum est verisimile, quae quidem generis nobilitas ipsius prudentia et fortitudine maxime augebatur. Ad ejus exercitum praeter illos, quorum imperio jam antea fungebatur, e diversis Romanorum terris Gothi videntur accessisse. Zosimus (V, 37) Ataulfum Gothorum et Hunnorum copias e Pannonia in Alarici auxilium adduxisse alioque loco (V, 35) usque ad trigints millia barbarorum, qui antea Romanis in Italia stipendia fecerant, ad Alaricum transisse tradit. Jornandes ipse magnum Ostrogothorum numerum Widemiro duce ad Visigothos migrasse narrat. (cf. c. 56).

§. 16.

De Ostrogothis.

Ostrogothorum nomine omnes designabantur, qui Gothorum in orientali imperii Romani parte habitabant, quod quidem nomen ab eo inde tempore, quo Visigothi Galliam et Hispaniam tenuere, saepius audiri coepit. Gothi enim in Gallia et Hispania omnes reliquos Gothos, qui in terris Europae orientalibus versabantur, Ostrogothorum nomine appellabant. Itaque Odoacer quoque, Rugorum, Herulorum et Scirorum dux, ab Isidoro Hispalensi Ostrogothorum rex dicitur. Ostrogothorum autem nomine posthac ii praeter reliquos imperii orientalis Gothos designabantur, qui rebus fortiter et feliciter gestis inter omnes illustres Theodorico duce Italiam expugnaverunt.

Alarico cum magna Gothorum manu in terras occidentales migrante, Gothorum, qui residui erant facti, numerus non admodum minuebatur. Praeter alias autem terras Pannonia Gothorum sedes videtur fuisse. cf. Procop. Bell. Vand. I, 2. Theoph. p. 81. qua ex terra ii prodiere Gothorum, quibus posthac praecipuum fuit Ostrogothorum nomen. Quamquam autem et numero et viribus valuerunt, tamen Hunnorum, qui Daciam tenuere, subjecti erant dominio [28]). cf. Theoph. p. 112. qui hac quidem in re cum Jornande consentit. Attila regnante et multo magis eo mortuo Gothorum, qui Pannoniam tenuere, res tribus fratribus, Walamiro, Theodemiro et Widimiro [29]), ducibus maxime floruerunt, ita ut illustrissimis de gentibus vicinis potirentur victoriis. Quibus rebus elati majora concupiscere et Pannonia relicta Orientis terras Leone Imperatore petere coepere. At Gothorum, qui Moesiam Thraciamque tenuere, res Aspare et Theodorico, Triarii filio, principibus, non minus prospero gaudebant statu. Itaque et Gothorum cupiditatibus et Romanorum artibus factum est, ut utrique Gothorum in acerrima invicem proelia assurgerent, e quibus Gothi, qui e Pannonia prodiere, multa majora videntur accepisse detrimenta, quam reliqui. Cum autem non longo tempore post Triarii filius casu decederet et Aspar inter-

---

28) Si, quae Jornandes c. 48. de Ostrogothis tradit, rerum gestarum nituntur veritate, maxima ex parte ad Pannonicas eorum sedes referenda sunt, quas multo ante Attilae obitum tenuerint necesse est. Conferatur c. II, §. 7. 4. hujus commentationis.

29) Inter hos fratres Walamirus apud Romanos orientales maximam adeptus est famam et memoratu dignissimum est, Theodoricum non Theodemiri, ut Jornandes vult, sed Walameri ab illis dici. cf. Malchi fragm. Auctor ignotus, a Valesio editus, Marcellini Chronicon, Theophanes etc.

ficeretur [30]), Gothi, qui Walamirum et postea Theodoricum sequebantur, et numero et potentia augebantur, ita ut multi Gothorum reliquorum ducibus destituti cum his conjungerentur et una Thraciam incolerent. Hi omnes a Gothis in Gallia et Hispania Ostrogothi sunt dicti, quippe qui in orientali imperii parte versarentur, quo nomine etiam tum a Visigothis distinguebantur, cum Theodorico celeberrimo eorum duce Italiam occupavissent. At non omnes Gothi, quibus Ostrogothorum fuit nomen, Thracia Moesiaque relictis Theodoricum sequuti sunt, sed magnus eorum numerus in illis terris resedit. cf. Procop. Bell. Goth. I. p. 185. ed. Grot. et ad hos Gothos quoque referendi sunt, qui a Jornande (c. 51) Gothi minores dicuntur [31]). Scriptores autem orientales omnes hos Gothos et qui in Italiam erant profecti et qui residui facti erant, Gothos tantum nominare solebant, quippe qui inter ipsos Romanos orientales habitarent.

Quinam autem populi singuli ad Ostrogothorum nomen pertinuerint, easdem ob causas, quas in Visigothis commemoravimus, dici non potest. Inter Ostrogothos, qui Italiam tenuere, Rugorum tantum nomen exstat, quorum pars Theodoricum in Italiam sequuta est. cf. Procop. Goth. III. p. 309. ed. Grot.

---

30) Quamquam Aspar Romanorum rebus praeesset, tamen Gothos, quorum dux Theodoricus Triarii filius cum illo affinitatis vinculo erat conjunctus, ex hac conjunctione multa percepisse bona, admodum est versimile. Theodoricus ipse hujus necem ulturus Romanos gravissimis affecit damnis. cf. Chron. Pasch. p. 323. Malchus p. 92.

31) Ea, quae Jornandes de Gothis Moesiam incolentibus tradit, ad ipsius tempora esse referenda, ex ipsa descriptione sequitur. Wulfilas autem quando vixerit, Jornandi incognitum videtur fuisse.